arbitris conderent in æde divi Viti, eodem Venceslao ædi-
A ficata. Graviter nimirum ferebat signa, & prodigia identi-
dem ad corpus sanctum, nunc in cæcos, nunc in claudos,
nunc in surdos edi: putabarque fore, ut illo ad divi Viti
corpus sepulto, Vito etiam potiis, quàm Venceslao miracu-
la edita attribuerentur. Plaustro corpus impositum fuit, sus-
tusque auriga quantum posset accelerare, ut ante lucem è Bo-
leslavia Pragam perveniret. At aurigam magis equi, quàm
ipse, equos regebant. Itaque cùm primò ad amnem, cui Ro-
chetnicze nomen, & aquis tunc multis redundantem, de-
inde ad Vultaviam adhuc redundantio rem ventum esset,
non ponte, ut ille solebat, sed pleno alveo utrumque amnem
equi transierunt, pedibus tantùm non siccis: mox ultra Vul-
taviam ad carcerem arci Pragensi subjectum immobiliter sub-
stiterunt, nec inde ulla vi prius amoveri potuerunt, quàm
die clarissimo (cùm jam multorum aliorum spectatorum
oculis res esset testatissima, corpus divi Venceslai vectores
vehere id quod obstinatè prius illi negabant) vincti ad unum
omnes è carcere illo dimissi fuerunt. Corpus præterquam
quòd à corruptione post triennium incolume repertum est,
insuper etiam ab omnibus vulneribus erat percuratum, una
B tantum auricula capiti deerat, quam Premyslaye Vence-
lai soror ad limen templi, in quo occisus frater erat, inven-
tam, arcula clausam habebat: cæterùm re, ut gesta fuit,
cognita, ne quid de corpore sancto desideraretur, eandem
statim Pragam miserat, statimque illa capiti suo adhæserat.
Ab isto dein tempore Boleslaus desiit cum numine fraterno
luctari; immò rogatus à sacerdotibus, quos de exilio revoca-
verat, ut templum Pragæ, in quo divus Venceslaus requie-
scebat, consecrari pateretur, etiam de suo fisco pecunias
in viaticum addidit, quo honorificentius Pragam Ratispona
deduceretur. *Dubravius lib.5.*

Casimirus Polonorum dux, cùm sibi per Ægidium Muti-
nensem Episcopum à Lucio III. Romano præsule offerren-
tur Floriani reliquiæ, ad septem ferè milliaria à Cracovia,
cum ingenti omnis generis hominum multitudine, obviàm
processit, *Cromerus lib.6.*

Pius II. Pp. caput divi Andreæ ex Peloponneso à Michae-
le Palæologo Principe loci, Turcarum metu, delatum, pro-
secutus est maxima pompa, Alexandro Cardinali Sentinati
Anconam misso, qui à Græcis acceptum Narniam usque de-
C ferret: ubi arce reconditum, exacto post anno tribus missis
Cardinalibus diversi ordinis, & decretis itinere tota supplica-
tionibus, Romam jussit afferri, progressusque obviàm ad pon-
tem Milvium, mediis in pratis lacrymabundus excepit, taber-
naculo extructo ad rem divinam faciendam, ubi mox & sacel-
lum erexit Ligustico marmore, & in Vaticano cellam dedica-
vit. *Platina, & Crantzius lib.12. Saxoniæ, cap.3.*

Philippus II. Hispaniarum rex, Ecclesiæ Toletanæ
precibus, apud Carolum IX. Gallorum regem operam de-
dit, ut Martyris Eugenii primi Toletani Episcopi corpus
Ecclesiæ suæ restitueretur. Quo votis ejus annuente, quam-
vis Galliæ populis dolentibus, ac potissimùm sancti Diony-
sii monachis, in quorum cœnobio multis jam sæculis asser-
vabatur, numenque martyris non vulgaribus miraculis
præsentissimum sentiebatur, in Hispaniam per Petrum
Manricum Canonicum Toletanum jure quodam postliminii
reductum fuit. Consultabant interea Toletani templi pa-
tres, an ad ipsos Galliæ, & Hispaniæ limites obviàm venera-
bundi procederent, indeque Toletum Eugenium deduce-
D rent. Qua de re cum regem consuluissent visum est, ut
Manricus Turrilacunam, Toletanæ diœcesis limitaneum
oppidum, festinaret, ibique tamdiu consisteret, donec
quid facto opus esset moneretur. Ventum est Turrilacunam
postridie Calendas Julias anno 1565, ubi Eugenius magna
populorum frequentia exceptus, post tam diuturnam à diœ-
cesi sua absentiam, per totum autumnum diversatus est.
Fuit ea dilatio peropportuna, ut interea Episcopis, quos
Toletani Antistitis sustraganeos vocant, ad Synodum Pro-
vincialem Toleti congregatis, primus Toletanus præsul Epi-
scoporum suorum humeris in Ecclesiam Toletanam inferre-
tur. Sub extremum Novembris diem, qui inter festos in
fastis ascriptus, id factum est, pompa celeberrima, variis
divorum ferculis, & passionis dominicæ insignibus, reli-
quiarum capsam, multis gemmis & margaritis fulgentibus
illustratam, præcedente: quàm per vices Philippus rex, &
Carolus juventutis princeps, & proceres alii subibant: qui-
bus in partem laboris Episcopi provinciales, & templi ma-
ximi sacerdotes succedebant. Hoc tanto appetitu, in ur-
bem multis fornicibus, & amplissimis arcubus ornatam,
& magno mortalium concursu ex omni ferè Hispania fre-
quentatam, reliquiæ illatæ sunt. Nihil illustrius, magni-
E ficentius, aut splendidius in eo genere urbs Toletana un-
quam vidit. In ædicula Dominici sepulchri, quæ subter aram
maximam in templo est, rege jubente, depositæ fuerunt.
Alvarus Gomecius lib.7. de rebus Ximenii.

COLUNTUR, HONORANTUR.

☞ *Impia est opinio Vigilantii, qui omni honore Martyres privabat, stulta Eunomii, qui ne cogeretur adorare mortuum, templa martyrum non ingrediebatur. Venerandi sunt, & orandi martyres, non adorandi, ut Deus: quemadmodum Hieronymus in Vigilantium disserit.*

Honoramus sanè memorias Sanctorum tanquam homi-
num Dei, qui usque ad mortem suorum corporum pro ve-
ritate certarunt, ut innotesceret vera religio, fallis reli-
gionibus, fictisque convictis: quod etiam si qui antea sentie-
bant timendo reprimebant. Quis autem audivit aliquando
fidelium, stantem sacerdotem ad altare etiam super sanctum
corpus martyris, ad Dei honorem, cultumque constru-
ctum, dicere in precibus: Offero tibi sacrificium, Petre,
vel Paule, vel Cypriane, cum apud eorum memorias of-
feratur Deo, qui eos & homines, & martyres fecit, & san-
ctis suis Angelis cœlesti honore sociavit: ut ea celebritate,
& Deo verò de illorum victoriis gratias agamus, & nos ad
imitationem talium coronarum, atque palmarum, eodem
invocato in auxilium ex eorum memoriæ renovatione adhor-
temur. Quæcumque igitur adhibentur religiosorum obse-
quia in martyrum locis, ornamenta tunt memoriarum,
non sacra, vel sacrificia mortuorum tanquam deorum. Qui-
cunque etiam epulas suas eò deferunt (quod quidem à Chri-
stianis melioribus non fit, & in plerisque terrarum nulla ta-
lis est consuetudo: tamen quicumque id faciunt, ea cùm
apposuerint, orant, & auferunt, ut vescantur, vel ex
eis etiam indigentibus largiantur) sanctificari ibi eas volunt
per merita martyrum in nomine Domini martyrum. Non
autem ista esse sacrificia martyrum novit, qui novit unum,
quod Deus illic offertur, sacrificium Christianorum, *August.*
lib.18. de imit. cap.27.

Epulas ad sepulchra Sanctorum deferendi mos præci-
G puè valuit in Africa, sicut *August. lib. 6. Confessionum*
testatur: matremque suam refert ad memorias Sancto-
rum attulisse Mediolani pultes, & panem, & merum,
dedisseque ostiario: Sed hæc Ambrosius fieri vetuit,
ne ulla occasio daretur ebriosis se ingurgitandi: & quia
illa quasi parentalia superstitionis gentilium essent simil-
lima. *Lud. Viv. in librum 8. Augustinus de Civitate*
Dei cap.27.

Pontifices Romani, qui post Petrum eam sedem usque ad
Sylvestrum I. tenuerant, qui duo & triginta numero fue-
re; omnes supplicio mactati sunt, præter septem, quibus
calamitatum concursu pressis vitæ brevitas faciliorem dedit
exitum. Istorum sacro cruore maduit in primis Romana
tellus, refertaque est divorum reliquiis, quæ brevi post
tempore undique conquisitæ, eò deportatæ sunt. Quæ res
à principio nascentis religionis cum primis Cleto atque
Anacleto Pontificibus curæ fuit. Hic enim, seorsum à
profana plebe, loca ubi martyres sepelirentur, assigna-
vit: ille verò notavit crimine sacrilegii, si qui impedisset,
quo minus Apostolorum sepulchra inviserentur. Ad quæ H
cùm miracula quoque fierent, ægrique sanarentur, hinc
initium est factum habendi honoris Sanctorum reliquiis. Ex-
titit tamen postea Vigilantius natione Gallus, qui negabat
Apostolorum, ac martyrum reliquias esse colendas, quòd
eorum animæ essent, vel in sinu Abrahæ, vel in loco refri-
gerationis, vel sub ara Dei, unde pro suo jure non possent
de suis tumulis, & ubi voluerint, adesse præsentes. At D.
Hieronymus contra eum scripto pugnavit. Callistus I. edem
in Transtiberina regione ædificavit, dicavitque Mariæ Vir-
gini. Sic posteà Constantinus Imp. Petro Paulo, ac D.
Laurentio templa extruxit: sic Pontifices, qui sequuti sunt,
alii, alias ædes condidere sacras. Itaque factum est, ut
Christiani viri, ac fœminæ, usque ab extremis quoque
partibus paulatim Romam peregrè sua sponte confluxerint;
sacra loca adeundi, divorumque sepulchra visendi caus-
sa. Deinde Gregorius cùm Romæ id temporis lethifera
laboraretur peste, primùm litanias decrevit: mox cer-
tos constituit dies, quibus in præcipuis urbis templis so-
lemni

lemni ritu sacrificaretur, ibique pro illo sedando malo orare-
A tur supplicitè: ac ut populus generatim simul frequentior
eo illis statis diebus concurreret, proposuit delictorum ve-
niam ad id solemne accedentibus, constitutis ad ipsa templa
sacerdotibus, qui audirent volentes de peccatis suis confiteri,
ut illi inde remissionem omnium delictorum consequerentur.
Appellavit Gregorius solemnia sacra Stationes, quasi statas,
id est certis anni diebus, ac statutis celebres: nam sic statæ
ceremoniæ, ut Festo Pompejo placet, dicebantur sacrificia,
quæ certis quibusdam diebus, & statutis celebrantur, quæ
non mutarentur, sed stabilia, & firma starent. Alii Statio-
nes dictas volunt, castrensi imitatione, quòd perinde hæc
sacra statutis diebus custodiantur, frequententurque, ac so-
leant loca ad custodiam assignari militibus, quando stant vi-
gilanter. Bonifacius deinde VIII. ad hæc sacra loca visenda
primus omnium Jubileum retulit, anno salutis 1300. quo pœ-
narum remissionem iis præstabat, qui limina Apostolorum
visitassent, ad exemplum veteris legis. *Polyd. l.8. c.11. de In-*
ventoribus.

Leo I. ad res divinas intentus, cùm populus frequens ex omni
parte orbis Romam veniæ causa concurreret, Apostolo-
B rum sepulchris custodes ex Romanis addidit sacerdotibus, &
eos Cubicularios appellavit. Illud ea de causa fecisse videtur,
quò augeretur pictas eò loci orantium, cùm animadverterent
duorum reliquias non sine veneratione servari.

In Samaria, quæ in honorem Augusti ab Herode Græco
sermone Augusta est nominata, siti sunt Helisæus, & Abdias
prophetæ, & (quo major inter natos mulierum non fuit)
Joannes Baptista. Eò Paula Romana vidua peregrinata vi-
dit variis dæmones rugire cruciatibus, & ante sepulchra
Sanctorum ululare homines more luporum, vocibus latrare
canum, fremere leonum, sibilare serpentum, mugire tau-
rorum. Alios rotare caput, & post tergum terram vertice
tangere: suspensisque pede fœminis, vestes defluere in fa-
ciem. Miserabatur omnium, & per singulos effusis lacry-
mis, Christi clementiam deprecabatur. *Hieronymus tomo 1.*
in epitaphio Paulæ.

Dum essem Romæ puer, inquit, D. Hieronymus, & libe-
ralibus studiis erudirer, solebam cum cæteris ejusdem ætatis,
& propositi, diebus dominicis sepulchra Apostolorum, &
Martyrum circuire, crebroque cryptas ingredi, quæ in terra-
rum profunda defossæ, ex utraque parte ingredientium per pa-
C rietes habent corpora sepultorum, & ita obscura sunt omnia,
ut propemodum illud prophetticum compleatur. Descendunt
ad infernum viventes, & raro desuper lumen admissum, hor-
rorem temperat tenebrarum: ut non tam tenestram quam fo-
ramen dimissi luminis putes: rursumque pedetentim accedi-
tur, & cæca nocte circumdatis, illud Virgilianum proponi-
tur: Horror ubique, animos simulispa silentia terrent. *Hiero-*
nymus l.12. in Ezechielem c.40.

Dagobertus Galliæ rex, templum D. Dionysii martyris
solido argento texit, ac corpora Sanctorum ibi collocavit, phe-
retro aureo, multisque muneribus, eo quòd illic olim tan-
quàm in asylo latuisset contra iram patris. Nam cùm eum sa-
tellites inde extrahere vellent, ante sacellum fixis pedibus,
stupentes intrare non potuerunt. *Regino in Chronico, & Nau-*
clerus in secundo Volumine.

Augustinus l.1. c.26. de Civ. Dei scribit, celeberrima vene-
ratione frequentari martyria quarundam fœminarum, quæ per-
secutionis tempore sese ipsas in flumen quoddam præcipitave-
rant, quo pudicitiæ suæ insectatores effugerant. Dubitat au-
D tem, an hoc rectè factum sit.

Augustinus l.22. c.8. de reliquiis Stephani scribit, magnum
concursum multitudinis ad eas in Africam usque factum pro-
pter miracula. Earundem quoque meminit *Prosper Aquita-*
nicus, de promissionibus, & prædictionibus Dei, c.6.

Hunnorum temporibus dum S. Servatio Trajectensi epis-
copo sacra fierent, patefacta desuper æde, columna ignis
altissima è cœlo, ad tumulum usque à prima vigilia no-
ctis ad auroram usque pependit: quod non oppidani so-
lùm, sed finitimi quoque, ac alienigenæ plurimi viderunt.
Quare hunc potissimùm colere, & inter divos referre cœ-
perunt: Sepulchrum ejus in media æde situm, nunquam te-
cto cooperire valuerunt. Et quamvis ibi sub divo rem divi-
nam faciunt, votaque suscipiunt: nunquam tamen sacris ne-
que imber, & grando, neque nix, & tempestas ulla obfuit.
Bonfinius l.5. Decad.10.

Reliquias Euphemiæ martyris Chalcedone Bythiniorum,
in proprio delubro conditas, edidisse miracula, testatur *Eva-*
grius l.2. c.3. & Nicephorus l.16. c.3. & 5.

Ludovicus Francorum rex contra Hericum Imp. pugnam
initurus, Sanctorum corpora, quæ locis munitissimis recon-
E dita erant, in publicum suis proceribus, & universæ multitu-
dini visenda, & colenda proferri jussit. *Robertus Gaguinus l.*
6. de Francis.

Capta, & igni tradita Halberstadia ab Henrici Leonis Saxo-
niæ ducis militibus, Ulricus Episcopus, S. Stephani reliquias in
sui præsidium manu tenens, in quadam domo repertus est:
teste Crantzio in Saxonia l.6. c.40.

In Ecclesia Oyetana Hispaniæ coluntur sanctorum marty-
rum corpora Eulogii, Lucretii, & Eulaliæ virginis, sancti Pela-
gii martyris, & Vincentii Martyris, & Abbatis, & sancti Juli-
ani Pontificis, & corpus Regis Casti, qui Oyetanam fundavit
Ecclesiam. *Marulus l.5. rerum Hispan.*

Lambertus Lovaniensium comes, phylacterium de collo
in pectus usque dependens, sanctorum reliquiis plenum, cir-
cumtulit: atque hoc patrocinio se adversùs omnis generis pe-
ricula tutum credidit. *Sigebertus in Chronico.*

Cùm Levinnæ virginis corpus anno 1058. per vicos Castel-
F læ, & Flandriæ maritimæ circumferretur, paralytici, surdi,
claudi, & aliis morbis detenti subitò sanati sunt. Duo itidem
cerei vento extincti, ubi ad ossa perlati sunt, ipsorum vi ac-
censi sunt. *Jacobus Meyer ex scriptis Dogonis, tum temporis*
Morinorum Episcopi.

Ad sepulchrum Martini IV. Pontificis bellicosi multi vale-
tudinariis delati, multi cæci perducti, muti, & claudi, pristi-
nam valetudinem recepere. *Platina.*

Quo tempore Sigismundus Imp. ad reformandum Imperii
statum Francofurdiæ agebat, cùm maximus turbo incubuis-
set, eversæque sine numero felices, & infelices arbores, ja-
cerent, turres, ac mœnia urbium conquassarentur, cecidit la-
pis in Ecclesia Coloniensi insignis magnitudinis vento deje-
ctus, per duplicem actus testudinem, horrendo cum strepi-
tu, & fragore, locoque sanctarum ex tribus Magis reliquia-
rum incubuit. Sed tum divino (ut ferunt) miraculo cessit the-
ca ad parietem, deditque cadenti saxo locum. Hodie monstrant
in Ecclesia saxum non longè ab sanctis reliquiis. *Crantzius l.*
11. Saxoniæ, c.24.

Ludovicus XI. Francorum rex summam præ se tulit reli-
gionem, ossa, & reliquias divorum ubique venerabundè exos-
culans.

CULTUS RESPECTU MATERIÆ, SIVE OBIECTI SECUNDARIUS. G

Sic coluntur à Christianis

Homines Vivi.

☞ *Puta Sacerdotes, Pontifices, alii quivis. De quibus sub loco Justitiæ religiosæ quædam.*

Mortui. Cadavera.

☞ *Ex loco Funeris, & Sepulturæ, huc quædam.*

Duorum Ricardorum patris, & filii, Normannorum du-
cum ossa è sepulchris eruta, honestiori ad altare S. Trinitatis
tradita fuere sepulturæ, præsentibus Henrico rege Anglorum,
& Normanniæ Episcopis, anno 1163. *Sigeberti continuator.*

Valentiæ cives in Hispania die festo S. Matthiæ summa hu-
manitate supplicantes ad locum proficiscuntur, in quo cada-
vera jacent eorum, quibus crimina mortis causa fuere. Quæ H
sive suspensa sint, sive jaceant, suscipiunt, & feretris impolita
ad sacrum locum devehunt, ibique sacrificiis, & orationibus
honorificè sepeliunt. *Marinæus l.3. rerum Hispan.*

Bruta.

☞ *Sic quædam divis devota animalia coluntur, pascendo, scilicet, excipiendo, blandiendo, non expellendo.*

Templa dum scilicet Extruuntur.

☞ *Ex loco Magnificentiæ exempla huc transferantur.*

D. Thomæ Apostoli corpus in urbe Indiæ, quam Malipur
appellant, quæ ad regnum Narsinguæ pertinet, sepultum
est, multis miraculis celebratum. Tempore, quo Martinus
Alfonsus Sousa, pro rege Lusitaniæ Joanne III. Indiam cum
imperio obtinebat, fuerunt ad illum æneæ tabulæ delatæ, in
quibus

quibus erant incisæ litteræ, quarum usus obsolverat, ita, ut nemo eas legere posset. Fuit tandem ab illo Judæus accersitus, multis linguis eruditus: & minimè antiquitatis ignarus, qui eas tandem cum difficultate propter scripturæ antiquitatem, & linguæ parum notæ rationem (erat enim ex multis conflata) perlegit. Litteræ autem nihil aliud in summa continebant, quàm à Rege, qui Thomæ temporibus illis terris imperabat, donationem Thomæ factam, telluris certa dimensione definitæ, in qua templum extrueret. *Osorius lib. 3. rerum Em.*

Felix IV. Romanus Pontifex, templum Cosmæ, & Damiani apud Romanum forum, quod carmen adhuc in eo scriptum indicat, ædificavit: & Saturni basilicam via Salaria restituit. *Volater. l. 22. Anthrop. & Platina.*

Paschalis I. Romanus Pontifex Ludovico Pio imperante, ædem Praxedis extruxit juxta veterem, templaque Cæciliæ, ac S. Mariæ ad præsepe restituit. Anno 820. *Ibidem.*

Hilarius I. Pontifex in Baptisterio Constantinianæ basilicæ tria oratoria ædificavit, auro, & pretiosis lapidibus distincta, tribus sanctis dedicata, Joanni Baptistæ, Joanni Evangelistæ, & sanctæ Cruci, quorum januæ erant æneæ, argento cælato clausæ. In oratorio autem τοῦ σταυροῦ erat lignum crucis auro clausum, & ornatum gemmis. Stabat & eo loci agnus aureus duarum librarum in columna onychina: ante oratorium erant columnæ miræ magnitudinis: quæ dicuntur hecaton. In fonte Joannis erat lucerna aurea librarum, aquam fundentes: columba aurea duarum librarum. Addidit & oratium sancti Stephani Baptisterio Lateranensi. Duas quoque bibliothecas apud eundem locum ædificavit. Ad Lunam verò monasterium in urbe struxit. Omitto dona templis oblata, quæ quidem propè infinita fuere, ex auro, argento, marmoribus, & gemmis. *Platina.*

Symmachus I. Pontifex, Theodorico regnante, templa ædificavit, primùm Andreæ propè Petri basilicam: deinde Agathæ in fundo Lardario divi Pancratii: Sylvestri quoque, & Martini, juxta Trajani thermas. *Volaterranus l. 22. Anthropologiæ, & Platina.*

Quod Constantinus Magnus Maxentio superato Romæ, atque in Italia instituerat, idem quoque Licinio profligato in Oriente ad imperium suum adjuncto perficere voluit, id est, ut ad Christianam evehendam Ecclesiam primoribus in urbibus magnifica Christo fana construeret. Præstabant autem cæteris, vel ipsorum Imperatorum ibi magnam partem temporis residentium judicio Nicomedia, Antiochia, & Alexandria: quarum prima Asiæ, secunda Orientis, tertia Ægypti caput habebatur. Hierosolymorum tamen, quæ memorabili Christi passione, & admiranda resurrectione nobilitata erant, antiquior, ac potior cura fuit. Cùm enim audiret, gentilium principes sepulchrum Domini ad delendam ejus memoriam altè quondam terra obruisse, atque ibi fanum Veneris extruxisse, rem indignatus, præfectis suis statim negotium dedit, ut templum illud diruerent; terramque egererent, ac loco sepulchri detecto basilicam ibi magnifici operis conderent. Itaque ad montem Calvariæ templum splendidissimum, militibus, ac provincialibus omnibus certatim operam jussu Constantini navantibus, ædificatum fuit. Cæterùm, quod incredibilem omnibus religionem incussit, locus ille, in quo postremùm Christus vestigia fixerat, cùm in cœlum nube sublatus est, continuari pavimento cum reliqua stratorum parte non potuit: siquidem quæcunque applicabantur, insolens humana recipere terra refecit, marmoribus sæpe in apponentium ora excussis. Quin etiam, ut inquit *S. Sulpitius*, auctor hujus historiæ imprimis idoneus, attriti Christo pulveris adeò perenne documentum mansit, ut vestigia etiam impressa conspicerentur: & cùm posteà quotidie confluentium fides certatim Domino calcata diriperet, damnum tamen arena non sentiret, & eandem adhuc sui speciem, velut impressis signa vestigiis custodiret. Helena interim, honesto filii exemplo, atque imitatione permota, duo alia fana extruere est adorta, unum in Bethlehem, alterum in monte Olivarum: ut non solùm mortis, sed etiam nativitatis, & ascensionis dominicæ loca monumentis ad accendendam religionem illustribus insigniret: atque ea, filio pecuniam, operamque subministrante, perfecit: atque interim puellis, quæ virginitatem Deo devoverant, uno in loco accumbentibus, ministrare ancillæ modo pro pietatis magnitudine institit. Inde Crucis parte, & Titulo, & Clavis assumptis discessit Romam: omnium occursu excepta, sanctas dominicæ passionis reliquias obtulit: quæ à Pontifice, & clero ea, qua decuit, reverentia sunt acceptæ. Inde, sumptum suppeditante filio, magnificam basilicam in Palatio Sessoriano instituit, atque ibi sacri ligni portionem auro, gemmisque inclusam, Titulumque ipsum Crucis, qui adhuc servatur, dicavit. Ea basilica Hierusalem appellata, etiam ab ipsius nomine Helenianæ nomen invenit, cum ornamentis illustribus, tum opimis possessionibus præcipuè à Constantino affecta. *Sigonius l. 3. Imper. occid.*

Justinianus Magnus Imperator Persis in Asia, Vandalis in Africa, Gothis in Italia profligatis Constantinopoli nobilissimum, & incomparabile Sophiæ (Sapientiæ Dei Patris Jesu Christo scilicet) templum extruxit, & pretiosissimis lapillis, speciosissimis columnis, aliisque donariis ita auxit, & ampliavit, ut primas ferè in toto Christiano orbe tenere putetur. Ejus prolixam descriptionem habes *apud Evagrium libro quarto, capite trigesimo primo. Nicephorus libro decimo sexto, capite vigesimo, ex Procopio, & Sigebertus.* Restauravit etiam SS. Apostolorum templum. Item in Pega Dei genitrici templum posuit. *Zonaras.* Struxit & plurima alia delubra in usum virorum, fœminarum, puerorum, senum, & eorum, qui vel corporis, vel animi ægritudine laborarent: & opulentos addidit redditus, unde quæ ad cultus divinos pertinent, parari, & instrui possent. *Evagrius lib. quarto, capite trigesimo, & trigesimo primo.* Cùm in tumultu Constantinopolitano incendium multas ædes absumpsisset sacras, & Ecclesiam magnam, quam Constantinus extrui fecerat, Justinianus aliam majorem, & elegantiorem fecit. In cujus vestibulo columnam ingentem cum equestri statua sibi collocavit, in loco ubi prius Magni Theodosii statua argentea erat, quam conflavit. *Cuspinianus.*

Basilius Imper. ut se Deo conciliaret, quia Michaelem Imp. occiderat, in multis locis urbis regiæ templa erexit, in honorem S. Archangeli Michaelis, qui Archistrategos à Græcis dicitur, mirabili, & pretioso opere. Et in ipsis templis sacellum extruxit sumptuosum, quam ædem Nean, id est Novam Ecclesiam appellavit. Alii Enneam vocant, id est Novennalem, quòd illic Ecclesiasticarum machina horarum, novem pulsata ictibus sonet. In qua quidem ædificatione ita occupatus fuit, simul & in celebrandis conviviis, ut classem negligeret, & hostibus late evagandi copiam daret. Erexit præterea & templum in honorem cujusdam Heliæ presbyteri Thesbitæ, quem ita venerabatur, ut ex hoc templo arbitraretur se ab Helia curru tandem igneo subvectum iri. *Cuspinianus ex Zonara.*

Isaacius Comnenus ædem S. Theclæ erexit in regia Constantinopolitana: quòd eo die, quo memoria illius celebratur, periculum quercus corruentis, patrocinio Theclæ effugisset: *Zonaras.*

Isaacius Angelus ædem D. Michaelis cœlestium copiarum archiducis, in portu sitam instauraturus, si qua in palatio marmorea tabula splendore, & guttarum varietate illustris, vel pavimentum tegebat, vel parietes ornabat, eò transferendam curavit. *Nicetas lib. 3. de Imperio Isaaci Angeli.*

Clodoveus Francorum rex Christianus, Argentinensem ædem instituit anno 510. Eandem Dagobertus Episcopali dignitate ornavit. Cæterùm anno 1277. turris campanaria magnificentia, & arte in Europa facilè Princeps ædificari cœpta, architecto Eruinio à Stembach, cui successit Joannes Hilz Coloniensis; absolvit tandem Suevus quidam. *Stumpfius ex Nauclero.*

Francorum reges Clotharius, & Childebertus defuncta matre Crotochilde, Vincentio ædem magnifico apparatu, in monumentum Gothicæ victoriæ posuerunt, circiter annum Domini 542. *Sabellicus Enneadis 8. lib. 3.* Sigebertum fratrem dictorum regum extra mœnia sacellum illud extruxisse, & amplissimis redditibus donasse scribit. Et addit: regem illum stolam istius martyris cum pretiosis aliis, & compluribus κειμηλίοις, quæ ex Hispania attulerat, sacello illi religiosè dedicasse.

Genovepha virgo Parisiensis, Catulacensem vicum, ubi divus Dionysius morte mulctatus est, reverenter frequentavit, cui basilicam quoque vovit. Sacerdotum collegia supplex adiit, ut ex collata pecunia ædem illi facerent. At illi modò paupertatem, modò calcis inopiam causari. Contra illa divinitus afflata: Egredimini (inquit) quæso, ad pontem urbis,

urbis, & quæcumque audieritis, nunciate mihi. Egressi, dum in foro stant attenti, si quid acciperent, ecce subulci duo adventantes inter se verba faciunt. Alter: Dum suis (ait) vestigium vagantis opertus legerem, maximam fornacem calcis inveni. Ego quoque itidem in sylva, inquit alter. Hæc quæ audierunt stupidi sacerdotes, virgini referunt. Ast illa præ gaudio in lacrymas effunditur. Quæ ubi civibus significata sunt, magnificè collocata pecunia ædes erecta, Dionysioque dicata. Ne sacra quidem prodigia in ædificanda basilica defuere. Nam cùm potus fabris lignariis fortè deficeret, cadum accepit: quem ubi exorato numine, signo crucis expiavit, mox operariis plenum propinavit, parique exuberantia semper redintegratus divinitùs, eorum sitim ad consummatum usque opus explevit. *Bonfinius libro quinto, Decadis 1.*

Veneti Narseti Eunucho in Gothos exercitum Ravennam versus ductanti, præstò fuere: & per æstuaria, navibus datis, & fluviis ponte constratis tutum iter fecere. Ille collaudata populi tum primùm nascentis industria, in facti memoriam sacella duo, si res bellicæ ex sententia cederent, vovit, & votis parta victoria dicavit: alterum Theodoro intra ædem auream D. Marci (*de qua sub Tit. Templa magnifica*) subinde comprehensum, alterum cum vestigio vetustatis Geminiano, & Mennæ cœlitibus, in areæ Marcianæ fronte, *Egnatius libr. 1. cap. 1. Blondus lib. 7. Dec. 1.*

Bonfinius lib. 7. Decadis 1. de Theodorico Ostgothorum in Italia rege, Ariano licet, memorat, quòd plurima nobilissima templa passim extruxerit.

In Modoecia Theodelinda regina Longobardorum Agilulfi uxor, cùm Adoaldum F. peperisset, templum Joannis Baptistæ pro se & omnibus Longobardis construxit, ut pro se apud Christum intercederent: exinde Longobardi cœperunt Joannem invocare. *Paulus Diaconus l. 4. c. 7. de gestis Longobardorum. Sab. l. 5. En. 8.*

Luitprandus Longobardorum rex Papiæ templa plurima extruxit, additis multis prædiis. *Bergomensis libro 10.* Idem sacras ædas, ubicumque in toto regno suo vetustate collapsas comperit, Pontificibus, & Abbatibus, ad quorum curam pertinebant, ut restaurarentur, imperavit, adhibens curam per legatos, ut imperata perficerent. *Eginbardus in vita Caroli, & Urspergensis in Chronico.*

Carolus Magnus publica opera plurima fecit, ex quibus præcipuum est templum Deiparæ virginis Romana æmulatione, adhuc toti Europæ venerabile ad aquas Granensas, ex adverso Palatinæ domus, cui & porticus, & procerum ædes ita circumjectæ, ita extructæ fuerant, ut undique paterent ex prætorio prospectanti. Columnæ marmoreæ Roma, Ravennaque devectæ. Tanti Monachus Suevorum D. Galli consacraneus, tintinnabula fecit. *Sigebertus, Aventin. lib. 5. Annalium Bojorum, & Æmilius lib. 2.* Spoliis, & thesauris in Ungaria repertis, multas Ecclesias, & monasteria ædificavit. *Avent. lib. 4. Annalium.* Tot monasteria, & templa extruxit, quot sunt elementa Latinorum, & cuilibet elementi vocem indidit: utputa Aquisgrano A. Tiguro Z. quod Zurich germanicè dicitur. *Stumpfius.* Idem Episcopatus super Uviseram fundavit: Mindensem, Bremensem, Herstallensem, qui ad fontem Poduli, seu Padelbornum translatus est, & Uverdensem. *Erphordiensis cap. 68.* Martisburgensem, & Zycensem Episcopatus in Saxonia, anno 803. fundavit. *Chronicon Saxoniæ.* Eodem anno Basileæ, & Uvormaciæ Episcopatus volunt esse à Carolo constitutos. Cùm castrum Uvitekindi, non procul ab Osnaburga, hoste fugato, suo firmasset præsidio, Ecclesiam ædificavit in Saxonia, primam, eique præfecit Uvihonem, gente, & origine Phrysium, ac jussit, cum ibi Græcas, & Latinas scholas aperire, & clericos utrinque linguam docere. Deinde in Orientali Saxonia, in Salingstadia, quæ posteà Osteruvick dicta est, propter vicinos Vandalos ædificavit Ecclesiam in honorem Stephani: cique præfecit Hildegrinum: qui auctus rebus, & populo, cùm cogitaret de alio templo ampliori instituendo, ab angelo jussus est Hasberstadium concedere. *Crantzius lib. 1. Metropolit. cap. 2. & 3.*

Ludovicus Pius Imp. Ecclesiam Aulicensem (nunc Eltze) in Saxonia Orientali à patre inchoatam, ad rivum Salam (qui Leynæ influit) perficere constituerat. Sed commonitus miraculo rei, quæ acciderat, in locum, ubi nunc est Hildesensis, transtulit. Cùm enim pridie rem sacram in venatione fieri jussisset, & capellanus sacras reliquias de lacte (ut ferunt) sanctæ Mariæ, aut capillis ejus, cum nonnullis aliis in arborem appensas reliquisset per incuriam, reversus cum Imperatore ad Ecclesiam Aulicensem, ubi altare jam in conspectu Imperatoris erat struendum, cœpit reminisci relictarum nuper reliquiarum. Statim ergo in eum rediit locum, reperitque relictas: sed nulla potuit avellere vi de trunco. Miratur, refert quid acciderit Imperatori. Ille comperto miraculo, interpretatur divinæ esse voluntatis instrui sacellum. Mox erigitur in honorem Beatæ virginis Mariæ. Erat prius dumis, & inviis paludibus horrens locus: sed qui non mutat instantia pervigilis curæ, & laboris? Cœpit proinde Apostolorum Princeps cedere Virgini matri, translataque est Ecclesia Aulicensis in Hildesemensem, ubi perdurat usque hodie. Hoc ergo initium Hildesemensis insignis Ecclesiæ: quæ in Aulica fuerat à Carolo inchoata: sed in locum, quem tenet, per Ludovicum filium translata est. *Crantzius lib. 1. cap. 26. Saxoniæ.*

Sixtus III. Rom. pont. Ecclesiarum ditator cognominatas, primus exhibuit basilicam S. Mariæ matris Domini, juxta macellum Libyæ, quæ posteà S. Maria major dicta est: item, & D. Laurentio, & præclaris donis ornavit. *Testis Platina.*

Conradus II. Imp. Episcopatum Spirensem magnis muneribus cumulavit, templum, extruere quod cœpit, vix tandem ab Henrico IV. absolutum. *Stumphius.*

Robertus Francorum rex templa hæc ædificavit, singula Virgini, Stampis, Aureliani, Victriaci. Regulo, Sylanecti, Nicolao, Lutetiæ, Leodegario, ad Sylvam Auilinam. Item Aureliani Hilario ædem, eadem in urbe Anniano, Augustoduni Cassiano singulas ædes, singulaque cœnobia. *Æmilius lib. 3.*

Henricus, Francorum rex, cùm Eudonem Campaniæ, & Balduinum Flandriæ comites, arcibus, & oppidulis quibusdam felici bellorum eventu exuisset: ut Deo hoc acceptum referret, D. Martini templum, quod Camporum appellant, Parisiis à se extructum, Secularibus, ut vocant, replevit sacerdotibus. Anno 1034. *Guagnignus lib. 5.*

Carolus Calvus Imp. pretiosissimas ædes, & clarissima cœnobia extruxit, muneribus locupletavit, ac donariis auxit: ut divi Cornelii cœnobium apud Compendium, quod magnis proventibus ditavit, & S. Dionysii templa proventibus auxit, & donariis adornavit. Compendium autem ita amavit, ut à nomine suo Carolopolim nuncupari jusserit. *Cusp.*

Richardus Normanniæ dux, gestarum rerum gloria pariter, ac virtutis fama præclarus, nonnulla condidit templa opere egregio, multisque donariis ea exornavit. *Polydorus Virgilius l. 6. historiæ Anglicæ.*

Christiani in Samarcanda Hircaniæ urbe, templum D. Joannis Baptistæ magnificum extruunt, & miraculosè illud idem conservatur. *Vide Tit. Preces exauditæ.*

Primi Venetæ urbis conditores (quos Patavinos fuisse ajunt) cùm casas quasdam extruxissent, nec adhuc templum alicui numini dicassent, repentè ignis ex architecti domo noctu erumpens, continuato incendio quatuor, & viginti domos absumpsit, vento, & materia passim disjecta flammas alentibus. Versa in preces multitudo, ædem D. Jacobo vovit. Ignis eodem momento desedit, & ædes ex voto erecta, Præsules, qui eam dedicarunt, Severianus Patavinus, Hilarius Altinas, Jocundus Tarvisinus, Epodion Opiterginus traduntur. Atque adeò diligens vetustas in hoc uno facto memoriæ mandando fuit, uti diem quoque natalitium urbis prodiderit; octavum videlicet Cal. April. *Egnatius libr. 6. cap. 5.*

In civitate Veneta sexaginta, & duo divorum spectantur templa insignia, quas Plebanias nominant: virginum vestalium, septem & viginti cœnobia, fratrum (quos discimus) totidem præclara imprimis habentur: ne Olivolense interim D. Petro sacrum numerum, aureamque Marcianam ædem à Justiniano Particiaco duce institutam. *Egnatius libr. 1. capite 1.*

Magnus antistes Heracliensis, divinitùs monitus, existimatur, ad templorum varia fundamenta jacienda, quæ Venetiis hodie etiam visuntur, Petro Olivolensi templi primùm ab

ab eo fundamenta jacta: D. Mariæ Formosæ extructa ædes, A Servatori in oculatissima urbis parte: D. Joanni Baptistæ, Raphaeli archangelo, & duodenis Apostolis. Tandem in summo paupertatis ardore moriens, Venetias translatus est: illiusque ossa in D. Hieremiæ templo hodie jacent. *Egnat. lib.4. cap.*

SEBASTIANUS Zianus dux Venetus, is, qui Alexandrum III. contra Fridericum Imp. protexit, aureæ ædis D. Marci extruendæ, & perficiendæ auctor fuit præcipuus. *Sabellicus l.7. Decadis* I.

VITEKINDUS Saxonum dux, victus à Carolo Magno, ut juvaret plantationem religionis Christianæ, magnam partem de arce sua ad Uviseram destinavit ædificandæ Ecclesiæ, & Episcopo Herimbetto donavit, unde accepisse nomen Episcopatum Mindensem, à Meo, & Tuo (*Min, & din*) volunt. *Crantzius l.1.c.9. in Metropoli. Anno Domini 787. ut annotatur in Chronico Saxonico.*

THEODO princeps Bavariæ, vel Odilo, quem Rupertus baptizavit, Episcopatum Saltzburgensem fundavit. *Hatmannus Schedelius.*

ARNULFUS Imp. D. Dei Genitrici templum, cum sacerdotibus, ac canonicis, quod hodie magna veneratione in Bavaria B frequentissimè invisitur, extruxit: ubi & sepultus jacet, Ottinga patria lingua nuncupatur *Cusp.*

HENRICUS II. Claudus cognomine, Imp. sanctissimus, cum Cunegunda uxore, Palatini Electoris F. castè vixit. Christum hæredem instituit, multa monasteria, & templa ædificavit: inter reliqua etiam Basileæ summum templum ab Henrico I. extructum, verum anno 1021. Hunnorum rabie vastatum, & terræ motu dejectum maximè extruxit. *Stumpfius:* Idem sedem Episcopalem Bambergæ fundavit, eamque amplissimis redditibus ditavit. Urspergensis Scotus ann. 1007. *Chronicon Bambergense.* In Bavaria passim templa Ungarorum irruptione vastata, idem restituit. *Avent. l.5. Annal. Bojorum.*

GEYSAM Ungarorum regem, dum Christianæ religionis doctrinam suos subditos docere cogitat, & antiquitatis majorum cæremoniis, novæ puritatis ritus extructis templis instituere meditatur, Deus per cœlestem ex alto interpretem in somnis eum consolatur, omnem sollicitudinem deponere, ac bono animo esse jubet: neque eum tali cura vexari oportere, ut sacella diuet, sacrosanctos introC ducat antistites, Scythicamque gentem à profana religione vindicet, quando sanguine pollutas manus habeat. Neque ullo modo fas esse infectas humano cruore manus, pias ædes erigere; orthodoxæ fidei fundamenta jacere: quæ pias tantum, & nullo facinore contemeratas exposcunt. Sanctissimum ex eo filium proditurum pollicetur, qui ad hæc, quæ tanti momenti sunt, à divina benignitate est prædestinatus. Hunc etiam, divino consilio, sacrosanctum Ungariæ regem futurum, propagaturum Christi nomen inter suos, & hunc unum plebi suæ salutem veram paritURUM. Demum admonet, se virum sanctissimum propediem esse missurum: cujus monitis eum obtemperare jubet, cùm divina hunc mandata delaturum, & gratissimam Deo victimam dicaturum esse significet. Cùm cœlestis in auras se recepisset interpres, Geysa repentè somno expertectus immortales Deo gratias agit: se, regnum, filiumque futurum Christo opt. max. commendat, divinum somnium cum fidelibus familiaribus communicat. Paucis post diebus sibi nunciatur, Adalbertum virum gravissimum, Boemiæ antistitem, ac mira vitæ sanctitate præstantem propediem adD futurum, ut Ungaros à falsa religione redimat, Deique mandata, publicamque salutem Scythis enunciet. Hunc exemplo eum virum Geysa fore intellexit, cujus in somnis fuerat admonitus. Obviàm ei cum ornatissima procerum pompa, & novorum collegio sacerdotum prodiit, Pontificemque Pragensem pro dignitate accepit. Ad avertendas à profana religione Ungarorum mentes, hujus opera, & oratione utitur. Multi à pristina religione deficiunt, pars magna baptisinatis aqua expiatur; in plerisque locis veri, præpotentisque numinis sacra celebrantur. Ex eo tempore Ungarica gente lux divina latius emersit. *Bonfinius l.1. Decad.2.*

GEYSA prælio superato Salomone Ungarorum rege, templum divæ Virgini pro victoria extruxit. *Vide Titulum Victoriæ portenta.*

Ex præda Giulæ devicti, qui Stephanum regem Ungari ex sorore nepotem religionis ergo bello lacessiverat, magnificum Albæ templum constructum est: quod cùm sæpiis igne conflagraret, publica enata est opinio, ideò id fieri, quod ex E præda, quam Giulas per fas, nefasque corraserat, esset ædificatum. *Bonfin. l.1. Decadis 2.* Idem ex paulo post devictis Bulgarorum copiis, amplissima spolia templis distribuit. Tertiam quoque prædæ partem, quam idem devicto Cupæ adeptus est, postibus templi affixit. *Idem.*

STEPHANUS Ungariæ rex in Alba regali basilicam D. Virgini sumptuosissimam ædificavit, ubi reges inaugurantur, & reconduntur, Magnificentiam ejus describit *Bonfin. l.1. Dec.2.* Idem divo Petro, Paulque dicavit ædem. Verùm dum rex operi, regina signis, tabulis, ac ornamentis incumberet, antequam perficeretur moles, mortui sunt, quæ tandem ab Ladislao pronepote suo consummata est. *Ibid.*

LADISLAUS Ungariæ rex, cùm post tot bella tandem otium peperisset: in Bihoriensi agro inter venandum cœlesti admonetur internuncio, ut ad Christum fluvium divæ Virgini basilicam dicaret: eamque adiecto oppido muniret, quem locum ei gratissimum futurum esse significabat. Divina statim mandata præstitit, magnificentissimam ædem erexit, eique pontificem præfecit, oppidum fundavit, Varadinumque jussit appellari. Pontificiam ædem amplissima donatione, divini cultus gratia, exornavit. *Bonfin. lib.4. F Dec.2.*

Prima Erico Sueonum regi cura fuit de Ecclesiis, vel fundandis, vel redditibus, sacerdotumque numero augendis. Inter cætera verò pietatis suæ monumenta Upsalensem sedem, quæ totius regni primaria est Ecclesia, à suis majoribus inchoatam, ipse magnifico labore, multisque impensis perfecit, ut testatur *Joan. Magnus lib.19. Gothicæ. hist. cap.4.*

CAROLUS IV. Imp. Pragense templum divi Venceslai magnifico, & miro opere ædificare cœpit, primo jacto lapide *Cusp.*

JOAN. GALEACIUS Vicecomes singulari pietatis, & magnificentiæ studio, Carthusiæ templum construxit ad quartum lapidem à Ticinensi paterna arce, ubi ferarum septa terminantur, addictis in alimenta sacerdotum latifundis. *Jovius in Joanne Galleacio.*

ALPHONSUS Castus, rex Hispaniarum, ex manubiis Maurorum, quorum millia septuaginta in acie cecidit, duas erexit Ecclesias, Orientenensem, & Asturinensem. *Ritius lib. G 2. de Regib. Hisp.*

CASIMIRUS II. Polonorum rex templum corporis Christi ædificat. *Vide Tit. Sacra profanando irreligiosè tractata.*

* CONSECRANTUR.

D. BENEDICTUS, Casinum veniens, templum Apollinis Joanni Baptistæ dedicavit. *Volat. l.12. Anthrop.*

BONIFACIUS IV. templum sanctæ Mariæ rotundæ (quod veteres Pantheon, à M. Agrippa conditum, quia Cybeli, & omnibus diis commune esset) à Phoca Imperatore obtinuit, consecravitque 4. idus Maii, in honorem beatæ Virginis, omniumque Martyrum ejectis priùs gentium simulacris, lustratoque templo. Calendis Novembris ibi instituit solemnitatem omnium Martyrum: unde posteà virgo ad Martyres dictum fuit, posteà crescente religione omnium Sanctorum appellari cœpit. Anno Domini 607. *Sigebert. in Chronicis Regino, Platina.* Hanc ipsam ædem, ab ædificii forma, Rotundam nunc vocant. Fuit id ipsum laminis argenteis tectum, sed illas posteà abstulit Constans Imperator. *Sabell. Enneadis octavæ l.6. Petrus Præmonstratensis* refert, quòd ante dedicatio- H nem ejus Christiani sæpè à dæmonibus percussi fint in illo templo: id verò deinceps, post consecrationem ejus, non ampliùs esse factum.

FELIX III. instituit, ut templa à solis præsulibus consecrarentur. An 484. *Volat. 22.*

Mira fuit templi D. Dionysii in Lutetiæ suburbanis dedicatio. Pontificibus enim, qui ad dedicationem convenerant, leprosus quidam, qui in eo templo nocte illa excubaverat narravit, Christum à se visum, aliosque sanctos templum dedicantes: jubente Christo, ut, quod viderat, Pontificibus ad dedicationem profectis referret: ejusque rei ne fortè fides desideraretur, signum ostenderet illud, quod esset à lepra mundatus, cutisque ex facie, quæ tuberculis ejus morbi ulcerosa esset tota esset fublata. Ei igitur non fides tantùm est habita, sed etiam à dedicatione Pontifices abstinuerunt: In rei autem memoriam, nunc quoque detracta ex leprosi vultu cutis, aurea pyxide condita ostenditur, & dies quotannis inter solem- A nes celebratur. *Fulg. lib.1. cap.6.*

HELINUVARDUS Mindensis Episcopus, cùm de consecratione majoris Ecclesiæ Mindensis hæsitaret, non inveniens monumenta legitima ante se factæ consecrationis: quò solemnitate majori res geretur, invitasse fertur vicinarum Ecclesiarum Pontifices, Dudonem Paderbornensem (quem ego Popponem alio dictum reor nomine) & Drogonem Osnaburgensem, ut illi in consecratione Ecclesiæ suæ principalis non dedignarentur adesse. Aderant, & rebus per omnia solemniter de more gestis, maximo cleri, ac populi concursu, in sua quique redierunt. Consecrata est autem sub honore sanctorum martyrum Gorgonii, Laurentii, & Alexandri, cùm annus Christi ageretur DCCCCLII. *Crantzius lib.3. Metrop. cap.32.*

EXORNANTUR.

DONUS Pap. stravit marmore atrium Basilicæ Petri, quod Paradisum appellant. *Volat. lib. 22.*

HERACLII Imp. contra Persas pugnantis permissus Honorius Pap. regulas æneas à Romuli templo amovit, & basili- B cam Petrii iis cooperuit: quod indicat, Romam non in Pontificis, sed Imperatoris fuisse potestate. *Blondus Decadis primæ, lib.9.*

DAGOBERTUS Francorum rex, templum Dionysii solido argento texit, ac corpora sanctorum eò collocari fecit, condito pheretro aureo, & additis multis preciosis muneribus, eo quòd illud templum aliquando ipsi contra patris jram asylum fuerat, cùm servi, qui eum inde extrahere jussu patris voluerant, ante sacellum fixis pedibus stupentes constitissent, nec potuissent intrare. *Regino in Chronico. Nauclerus 2. Volumine.*

COLUNTUR.

Speculum Vincentii lib.18. cap.33. narrat, ex consuetudine B. Severinum Colonienfem, summum pastorem, Dominicis diebus post matutinas preces loca sancta circuivisse.

Decretum est in consilio Saligunstadiensi anno 1023. ut nemo gladium in Ecclesiam portet, regali tantùm excepto. Statuit eadem Synodus, ne colloquia profana in atrio Eccle- C siæ habeantur, ubi orationes, & divina tantùm fieri æquum est officia.

HYGINUS Papa materiam templorum in profanos usus converti prohibuit. *Volat. l.22.*

CALLINICUS Patriarcha Constantinopolitanus, templum Deiparæ destruere renuit. *Vide Tit. Constantiæ religiosæ.*

EXPIANTUR.

Templum à Sacerdote stupro pollutum aquæ benedictæ aspersione expiari, seu reconciliari debet, ut monet *Alex. III. Pp. l.5. Decretalium. Titulo 16. c.5. Significari.*

MONASTERIA, DUM EXTRUUNTUR.

☞ *Ex loco Magnificentiæ illustretur, item monasteriorum.*

PAULA, Romana matrona, cum D. Hieronymo in Syriam profecta, quatuor illic monasteria extruxit, Virginum tria, quibus ipsa præfuit, unum virorum, cui Hieronymus. Sic per 20. annos orando, psallendo, conciones audiendo, beatorum vitam imitata fuit.

GREGORIUS I. Pontifex paternam domum in clivo Scauri D positam, non longè à Circo maximo, in monasterium redegit, quo in loco & hospites continuò accipiebat, & pauperes undique confluentes, cibo, & potu in vita retinebat. Sex alia monasteria in Sicilia extruxit. *Platina.*

ELEUSIUS, & Marathonius, alter Cyzicenus, alter Constantinopolitanus Episcopi, monasteria frequentia virorum, & mulierum instituerunt, atque aliorum plurimorum cœtum ad se attraxerunt, ex iis, qui vitam frugi, & asperam perfectissimum pietatis signum esse statuunt. *Suidas.*

Cùm Rodoaldus dux Beneventanus, Tarentum, Brundusium, ac totam Apuliam occupasset, ejus uxor Theodota mulier patientissima, ex his manubiis non longè à Benevento basilicam in honorem beati Petri ædificavit, addito sacrarum virginum cœnobio. *Platina in Leone II.*

GREGORIUS II. Pontifex domum paternam mortua matre in honorem Agathæ Christi martyris dedicavit, eoque loci monasterium extruxit, additis suburbanis, & rusticis prædiis ad monachorum usum, & commoditatem. *Platina.*

BENEDICTUS II. Pontifex Romæ beati Petri Apostoli, Laurentii martyris in Lucina, beati Valentiniani via Fla- E minia, Virginis genitricis ad martyres templa magnis sumptibus restituit, eademque ophitico, & porphyretico lapide, incrustratione parietum, opere tectorio, & vermiculato, argenteis, atque aureis vasis, vestibus inauratis, & holosericis exornavit. *Platina.*

PERTHARIS Longobardorum rex, religiones Benedicti, & Pietatem imitatus, monasterium Papiæ in honorem sanctæ Agathæ ædificavit. *Platina.*

HERSFELDENSE monasterium Bonifacium Monguntinus Episcopus extruxit, anno Domini 736. juxta Chronicon Quedelburgense, & Trithemium in epitome rerum Franciarum, & Schafnaburgensem. Fuldense verò anno 742. *Sigebertus in Chronico.*

SELINGASTADII Carolus Magnus D. Stephano monasterium ædificavit, anno Domini 781. *Chronicon Quedelburgense.* Idem secundùm numerum alphabeti in monasteria condidit, & in singulis litterarum aureum centum librarum Turonensium collocavit. *Murius l.8.*

DAGOBERTUS Francorum rex anno sui regni tertio fundavit cœnobium, quod Album castrum, vel Vveissenburg dicitur, instituti Benedictini, circa annum Christi 623. Do- F tavit verò, & auxit ann. Christi 664. ac divo Petro, & Stephano dedicavit. Irminæ filiæ suæ in palatio antiquissimo, quod Horreum dicebatur, apud Treverenses monasterium puellarum extruxit, instinctu Modoaldi Treverensis Episcopi, qui & ipse duo monasteria in eadem urbe monialibus construxit. *Trithemius de gestis Francorum* Sub diœcesi Treverica, Theologiense cœnobium sancti Mauricii, quod itidem est Benedictini instituti, fundavit, ac munificentissimè dotavit: anno Christi 627. Absolutum illud est posteà à filio ejus Sigeberto, rege Austrasiæ, *Bruschius de monast. Germaniæ.*

COLUMBANUS, homo in insula Hybernia natus, atque eximia doctrina, & rigida vitæ innocentia notus, postquam Luxoviense monasterium constituerat, ac sanctitatem tuam Francorum regibus multis modis probarat, in Italiam venit, atque ab Agilulfo rege Longobardorum benignè acceptus, cùm multa alia egregiæ pietatis suæ monumenta edidit, tum imprimis Mediolani agens, Arrianos, qui multi adhuc in regno erant, & verbis, & scriptis, ipso probante Agilhulfo, concidit. Sequenti verò anno 614. cùm optio- G nem à rege accepisset, ut ubicunque vellet, sibi monasterium conderet, neque de loco secum constituere incertus amini posset, ubi Bobii nomen apud regem celebrari audivit, nova subitò loci cupiditate exarsit, atque eum à rege popofcit. Erat autem ad regem delatum, basilicam Petri Apostoli quandam Apennini in faltibus repetiri, locum circa soli ubertate fœcundum, aquis irriguum, copia piscium affluentem, quem veteres Bobium ab rivo ibi fluente vocassent, non multis millibus passuum à Papia distantem. Hunc igitur locum Columbanus adeptus, exemplo basilicam, quæ semiruta erat, refecit, & monasterium addidit, & advocatis monachis præfuit, atque ibi post annum interiit. Columbanum inde Attala, Attalam Bertolfus Abbas est consecutus. Quos omnes inter Sanctos relatos Beda prodidit, qui Monachorum vitas descripsit. Monasterium ab Agilulfo, & posteris ejus ditatum, & monachorum sanctitate, & cat holicæ fidei defensione præcelluit. *Sig. l.1. regni Ital.*

SIGEBERTUS rex de prole penitus desperans, duodecim mo- H nasteria extruxit, inter quæ Stabulaus, & Malmudarium præcipua æstimantur. *Sigebertus.* Idem monasterium Vucst, ut quidam volunt, condidit: quam vis alii Lucio regi adscribant. *Polyd. l.4.* Sangallensis Abbatia apud Helvetios, intra muros urbis sancti Galli, quæ totum comitatum Dokenburgensem sub sua potestate habet, sumptibus, ac immunitatibus Sigeberti Austrasiæ regis, & Fridebergæ conjugis extructa est: quam sanctus Gallus, qui primus apud accolas illos Acrovii lacus, id est Brigantinos, & Arbonenses, Evangelium plantavit, à dæmonio liberaverat. Cœptum opus anno Christi 630. *Bruschius in Monasteriis.*

Sub Lothario Imper. anno Salutis MCXXVII. ingens Franconiæ cœnobium Cisterciensis ordinis Eboracum (aliis Loracum dicitur) condi cœptum est (quo loco corda Episcoporum Herbipolensium sepeliuntur) à duobus fratribus nobilibus, Bernone, & Richuvino, qui castrum suum Eborchum, latronum olim domicilium, divo Bernardo dicarunt, ut modus fieret orationis strenuè multis principibus coadjuvantibus.

juvantibus. Potissimùm verò annitente Conrado III. Romanorum rege, & Gertrude conjuge, priusquam regalem adepti sunt dignitatem. *Cuspin.*

Otho Magnus Imp. Magdeburgi regalem Abbatiam professionis Benedictinæ fundavit: sed paulò post eam in Archiepiscopatum commutavit, ac monachis extra urbis mœnia, in quodam colliculo (unde posteà cœnobium nomen suum accepit) locum concessit. *Henricus de Erfordia.* Idem ex S. Meginradi cella, magnificam fecit Abbatiam Einfidlensem, sive Eremitarum apud Helvetios, quam amplissimis proventibus annuis dotavit, ac pauperum Principum, Comitum, ac Baronum receptaculum perpetuum esse jussit: ut *Bruschius in Chronologia monasteriorum Germaniæ* indicat.

Henricus II. Imp multo & labore, & ære, ab Ungaris vastata passim per Germaniam templa, cœnobiaque restituit: & Monachos, qui ob paupertatem suam professionem abiecerant, ad officium coegit. *Avent. l. 5. An.*

Narrat *Aventinus*, Utilonem Bavariæ Principem (vel Odilonem, vel Theodonem) septem monasteria extruxisse, unum Mainse, prope Mœnum, Lacum Noricorum: sex in inferiori Bavaria, juxta Danubium, *l. 3. Annal.*

Ursus Patriciacus Venetorum Dux Monasterium Divi Felicis ad Amianos extruxit: in quo posteà sepultus est, Hujus liberalitas in pauperes, & in reliquos munificentia commendatur. Unde vigesimo principatus anno sponte sese abdicavit, quando prægravante senecta parem hujus curæ se non esse cognoscerer. *Egnat. l. 4. c. 1.*

Edelstenum Canonistarum liberarum, & ab omni professione, ac regula immunium, in Suevia pulcherrimum Collegium (in quo omnibus virginibus liberum erat egredi vicissim, & nubere, soli verò Abbatissæ propter benedictionem, liberum non erat) fundatum, & liberalissimè dotatum est, anno Christi 1126. à Gisala germana sorore Verhesi Ursperganensis fundatoris, Comitis de Schunabegk, & Balthzusen. *Bruschius.*

D. Bernardus Monasteria plura, quàm credibile fermè est, extruxit. Refert *auctor vitæ*, illum 160. Monasteriorum patrem esse, *l. 5. c. 2. Trithemius in Chronico Hirsaugensi numerat* 140.

Bruno, Othonis Magni ex Ludolpho filio nepos, Pontificatum Verdensem ingressus, patrimonium suum sacris rebus dicavit, indeque in honorem B. Virginis, & Joannis Baptistæ, Collegium cœlibem vitam agentium virginum extruxit, ac plurima Ecclesiæ ornamenta de suo comparavit. *Crantz. in Metropoli l. 3. c. 36.*

Bonifacius IV. domum paternam in Monasterium redegit, fundosque suos Monasterio ascripsit, in Monachorum usum. *Platina.*

Robertus Hugonis Capeti filius, Francorum rex, plurima religiosa loca extruxit. Apud Aureliam cœnobium sancti Aniani, in sylva Aquiliana S. Medardi, & sancti Leodegarii, in Viteraco castro S. Regalis, in civitate Sylvanectensi, apud Augustodunum sancti Cassii. *Ravisius.*

Ludovicus Crassus, Francorum rex, fecit cœnobium S. Victoris in suburbiis Lutetiæ. *Ravisius.*

Consueverat Rodulphus Rom. rex semper sexta feria, quæ dies est Veneris, passioni Christi dicatus, cum hoste manus conferere: nam S. Crucem religiosissimè venerabatur. Votum itaque Deo fecit, si victoria contra Othocarum Bohemiæ regem potiretur, sese in honorem S. Crucis novum extructurum cœnobium, Othocarus castris exutus, in fuga à Stirio nobile, cujus fratrem priùs iniquè decollaverat, vulneratus, nudus in Laha oppidum Austriæ delatus, expiravit: anno Salutis 1279. de cujus exercitu quatuordecim millia desiderata, præter captivos. Rex voti reus in Tulna Austriæ oppido cœnobium Monialium (quod hodie durat) extrui in honorem S. Crucis fecit, donatiisque, ac censibus donavit. *Cusp.*

Robertus Flandriæ Comes, uxori suæ Clementiæ per literas ex Terra sancta missas, anno 1098. mandavit, ut in honorem D. Andreæ cœnobium construeret: quòd is sanctus sacram lanceam, quæ jam multis sæculis humo defossa jacuerat demonstrasset peregrinis. Clementia jussis parens, à Balorico Episcopo, & Lamberto Archidiacono locum quendam in Betserkerck juxta Brugas impetravit, ibique Monasterium Benedictinorum extruxit. *Jacobus Meyer.*

Carolus IV. Imperator multa Collegia Canonicorum, ac Monasteria Pragæ fundavit, & erexit. Ac in Ingelheym oppido Rhenano, Moguntinensis diœcesis, Canonicorum Regularium instituit Collegium, ad quod soli recipiuntur Bohemi, quod hodie extat. *Cusp.*

Osvius rex Anglorum, devicto Merciorum rege Penda, primus in ea gente Ecclesiæ Dei hospitia præbuit, templa, ac Monasteria ædificavit plurima, inter quæ præcipuum legitur in insula Cervi, in quod ipse filiam suam virginem abdidit, in gratiam victoriæ à Deo concessæ. *Beda in hist. Ecclesiast. l. 3. c. 21. & 24. Sigeb.*

Edgarus Anglorum rex, singulis annis, quibus regnum administravit, novum Monachis extruxit cœnobium. *Balæus centuria 2. Scriptorum Britanniæ.* Quadraginta eum Monasteria extruxisse, *Ranulphus lib. 7. cap. 9. Polychronici* scribit.

Inter reges Sueços nullius major in extruendis Monasteriis liberalitas fuit, quàm Magni Ladalaos dicti, præter id, quòd ea, quæ à reliquis regibus exructa erant, magnificè dotavit. *Joannes Magnus l. 20. c. 7.*

Joannes Boemorum rex miratus vitam Carthusiensium asperam, eos nunquam anteà in Boemia visos, Pragam, condito illis templo, & benè dotato, adduxit. *Dubr. l. 21.*

Dedicantur, Consecrantur.

Mimigardevordensis Ecclesiæ Episcopus Hermannus primus instituit, dedicavit, & consecravit Monasterium, & Ecclesiam trans aquas, in titulum, & honorem beatæ Mariæ Virginis. Quod Monasterium brevi ita excrevit, adeòque factum est celebre, ut nomen dederit, & civitati, & Episcopo: ita ut paulatim abolito veteri Mimigardevordensi vocabulo, inceperit dici Monasteriensis, & Civitas, & Ecclesia. *Crantz. l. 4. Metrop. c. 14.*

Reficiuntur.

Vualramo Colonienfi Archiepiscopo, eò quòd suum antecessorem extasi correptum sepelisset, satisfactionis loco à Pontifice impositum fuit, ut collapsum aliquod repararet Monasterium. *Crantz. in Metrop. l. 3. c. 45.*

Monumenta Sacra.

☞ *Sepulchra itidem, ut Imagines non per se, sed propter eos, quorum sepulchra sunt, coluntur. Proinde ex Tit. Sanctorum corpora culta, huc ea transferantur exempla, in quibus sepulchrorum cultus occurrit.*

D. Gregorius Papa consuetudinem quantumvis vetustam, illicitam tamen, ex sua removit Ecclesia, loca sepulturæ pro pecunia vendendi, exemplum Abrahæ, & Sichimitarum imitatus: & consilium idipsum dedit Episcopo Messanensi, *l. 7. Epist. c. 4. Idem epist. 55.* Januarium Episcopum Sardiniæ vehementer reprehendit, quod à Nereide clarissimæ femina centum solidos pro filiæ sepultura exegerit, adeòque de terra concessa putredini quæstum fecerit, quod ne pagnus quidem Ephron Sichimita erga Abrahamum peregrinum commiserit.

Tempora sacra dum instituuntur, et observantur, ratione habita Temporis majoris, cujus partes sunt. Sic colitur à Christianis.

Annus v. c.

Jubileus.

Vide Locum particularem de Jubileo.

Bonifacius IX. Papa anno Salutis MCCXCV. Jubileum annum instituit, & centesimo quoque anno renovari jussit, & illis, qui Romam venirent, & suas ibi preces effunderent ad Divi Petri, atque Pauli sepulchra, peccatorum omnium plenam condonationem promisit, ut populum Romanum ab inani Secularium ludorum celebratione ad verum solemne sacrum reduceret. Quinquagesimo post instante anno, Clemens VI. sanxit Jubileum celebrari 1. quoque anno (cùm ætas hominis vix Jubileum illum c. anno attingere posset) qui verus fuit Jubileus, ann. 1345. *Volat. l. 22.* in quo septies septem quadraginta novem constituunt: ut proximus quinquagesimus esset verus sabbatismus, tribuens plenam remissionem peccatorum. Eo anno tantam fuisse hominum multitudinem Romæ scribit Petrarcha, oculata fide, ut nihil mirum fuerit ex ea colluvione ortam gravissimam pestem, quæ omnem Italiam ita exhausit, ut ex mille vix decem superessent. *Crantzius libro nono Metrop. cap. 43.* Urbanus VI. Papa Jubileum de anno quinquagesimo transtulit ad trigesimumtertium, quot sunt anni Christi Jubileum prædicantis: statuitque, ut ann. 1390.

an. 1390. primùm, & deinceps per trigesimumtertium servarentur. *Crantz. lib. 10. Metrop. cap. 21.* Postremò Sixtus IV. Jubileum ad XXV. quemque annum reduxit, primusque celebravit, qui fuit annus MCCCCLXXV. Salutis, id fecit, ut quæque ætas ejus muneris particeps fieret. Eo tempore Pontifex auream, uti vocant, portam aperit, ad quam infinita concurrit hominum turba, consequendæ peccatorum remissionis causa. Malleolo Pontifex aureo portam ferit. Dum portam Pontifex malleo percutit, opifices illam vectibus effringunt. Ibi populus, qui certatim irrumpit, ejus ruinæ calcem, atque rudera studiosè colligit. *Platina.*

Sub Nicolao V. anno MCCCCL. pronunciato Jubileo, tanta multitudo Romam venit, quanta nunquam anteà. Sic ut multi præ turba suffocati perierint. *Sabell. l. 5. Enn. 10. & Platina.*

Jubileum Nicolaus V. ad spatium unius anni post peractum Romanum Polonis Cracoviæ, Gnesnæ, Leopoli, & Vilnæ concesserat, ea lege, ut quisque dimidium ejus, quod in itinere Romano impensurus esset videretur, in capsam reponeret: ex ea verò pecunia, ut dimidium Regi in sumptus belli contra Tartaros gerendi cederet: de reliquo dimidio, dimidium, Sophia regina in dotem egentium puellarum auferret, reliquum verò Pontifici pro instaurandis Romæ templis mitteretur. Sed cùm gravis vulgò esset ea æstimatio, ad quartam redacta est. *Cromerus l. 22.*

Julio IV. in Pontificatu, omnium operum fuit referare statim à Clemente ante XXV. annos clausam sacram in Vaticano portam, alias item primariorum templorum referandas Cardinalibus certis demandare, veniam delictorum omnibus largissimè concedere. Magno omnium hominum concursu hic annus Romæ celebratus est, Pontifice populo sæpius sese ostentante, benedicenteque: quo demùm exacto apertas per se portas, magna cum cæremoniarum pompa religiosè clausit. *Panvinius.*

Ætatis.

Anglorum Rex Edovardus III. anno 1300. quo quinquagesimum agebat ætatis annum, habens Concilium ad Vvestmonasterium, postquam de Concilii sententia filios Leonellum Ducem Clarentiæ, & Edmundum Comitem Cantabrigæ fecerat, exules revocavit, perduellibus pepercit, custodias omnes dimisit, condonatis maleficiorum pœnis, leges aliquot salutares tulit, privilegia olim à majoribus populo irrogata, quæ vulgus magnæ Chartæ immunitates vocitat, deintegrò concessit. Hinc ortum dixerim, ut reges etiam nunc Jubileum ætatis colerent. Verbi gratia, seu regina in annos singulos, tot inopes homines in Cœna Domini vestit, eisque largitiones facit, quot illo ipso die annos ætatis habuerit. *Platina, & Polyd. lib. 19. Volater. lib. 22.*

Mensis.

Sive totus, sive secundùm partes, ex Volumine Chronico illustretur.

Juliæ Calendæ Venetis ob receptam Ligustico bello Clodiam, Andreæ Contareni ducis auspiciis, sacræ habentur. *Egnat. l. 8. c. 16.*

Hebdomada tota, vel secundùm partes.

Hebdomadæ magnæ mentio est *apud Chrysostomum, homilia trigesima, in decimum Genesecos caput*: quam jejuniis, vigiliis, pernoctationibus sacris, & eleemosynis decorare Christianos monet. Eam autem hebdomadam intelligit, quæ Paschatis festum proximè præcedit: quia scribitad finem quadragesimæ ventum, cùm in magnam hanc hebdomadam pervenerint. Quam quidem ideò quoque Magnam dicit, quòd magna quædam, & ineffabilia bona in ea piis contigerint. In illa enim solutum esse bellum diutinum, extinctam esse mortem, maledictionem interemptam, diaboli tyrannidem dissolutam, vasa ipsius direpta, Deum hominibus reconciliatum, cœlum penetrabile factum.

Rodulfus Habspurgensis Imp. ita S. Crucem venerabatur, ut frequenter sexta feria, passioni Christi dicata, cum hoste confligeret. *Vide Tit. Monasteria religiosè extructa.*

Anno 1202. à Scotis decretum, ut dies Sabbathi à duodecima hora meridiei facer esset, neque quisquam res profanas, quemadmodum festis diebus vetitum erat, exerceret: idque campanæ sono populo indicaretur, ac posteà sacris rebus operam darent, concionibus interessent, vesperas (quas vocant) audirent, idque usque in diem Lunæ facerent: constituta adversùs contemptores gravi mulcta. *H. Boethius libro decimotertio.*

Tempora sacra coluntur, ratione habita memoriæ ejus propter quem coluntur, Puta, Christi.

In Genere.

Apostolos auctores fuisse prohibent, ut omnes illi dies, quibus Servator noster ad salutem, atque disciplinam nostram aliqua peregisset mysteria, sacri essent, utque apud posteros majori haberentur venerationi, eos primùm religiosè coluisse, quamdiu vixissent. Cujusmodi sunt dies Dominicus, Adventus Domini, Natalis, & Circumcisio ejusdem, Epiphania, item Virginis Purificatio, quam vocant, Quadragesimæ dies, Dominica Palmarum, Cœna Domini, quando post Eucharistiam institutam, pedes lavit discipulis, Parasceve Paschæ, Ascensus Christi in cœlum, Pentecoste. Quod solemne ab Hebræis prius consuevit celebrari, apud eos enim postquam agnus immolatus fuerat, quinquagesimo deinde die, data est lex Moysi scripta digito Dei. Quam Christus velut ovis, ut immolaretur, ductus, à Judæis est occisus, nostrum Pascha fuit, ac post quinquaginta dies discipuli Spiritum sanctum accepere. Quanquam sunt, qui tradunt, Pentecostes diem non fuisse festum Apostolorum temporibus. In qua re eos hallucinari, planè ostendit *Lucas in Actis cap. 20.* ita scribens: Proposuerat enim Paulus præternavigare Ephesum, ne tempus tereret in Asia; festinabat enim, si possibile sibi esset, ut diem Pentecostes ageret Hierosolymis. Cur tanto Paulus opere ad illum ipsum diem agitandum properasset, nisi fuisset jam tum apud nostros festus quàm celebratissimus? Transfiguratio, *teste Origene*, primum à Judæis est: voluit etenim Christus, ut quemadmodum facies Moysis ex communicatione colloquii Dei gloriosa facta est: sic dimisso jam velo, sese transformatum Apostoli Petrus, & Jacobus, & Joannes contemplarentur. *Polyd. Virg. l. 6. c. 8. de Inventoribus rerum.*

In specie v. c.

Nativitatis.

Justinus senior sanctam Christi Nativitatem devotè observare jussit. *Niceph. l. 7. c. 28.*

Paschatis.

Resurrectionis Christi festum in Ecclesia solemniter institutum sub Hygino Episcopo Romano, Anno Christi 146. *Cyprian. & Aug.*

Paschatis dies in gloriosæ Christi Resurrectionis memoriam passim in Ecclesiis olim observatus est. *Aug. epist. 118, ad Januarium.*

Pius I. Papa die Dominico Pascha celebrari instituit, monitus à quodam Hermete divino homine, Anno 144. *Volater. l. 22. Anthrop.*

Eusebius lib. 5. hist. Ecclesiasticæ, cap. 22. & 23. ostendit, quanta fuerit controversia inter Episcopos, & alios fideles de celebritate Paschæ, tempore Victoris Papæ ..... anno Domin. CXCIX. quibusdam volentibus Luna decimaquarta Pascha Domini celebrandum, quæcumque die septimanæ Luna XIV. venisset, quando Judæis agnus præcipitur immolari: aliis contrà volentibus, ne aliquando, nisi in die Dominico, quo Dominus surrexit à mortuis, Dominicum Paschæ celebraretur mysterium. Et ob ejusmodi causam congregata sunt Concilia Provincialia anno XL. Commodi Imper. ut Romanum, Cæsareanum, Gallicanum, Ponticum, Achaicum, Carthaginense quartum, & quintum. Et Canon primus Concilii Antiocheni hæc habet: Non licere Pascha diverso tempore facere, nec cum Judæis concelebrare, sicut in Nicæno Concilio statutum est. Et Victor Papa instituit, die Dominica Pascha Domini celebrari, sicut constituerat Pius Papa, *ut habetur de consec. dist. 3. cap. celebritatem.*

Victor I. Pontifex constituit, ut Pascha Dominico die celebraretur ex Eleutherii sententia (ut Damasus ait) à quartadecima luna primi mensis, usque in XXI. Cujus decretis obtemperans Theophilus Palæstinæ urbis Episcopus, contra eos scripsit, qui XIV. luna cum Judæis Pascha celebrabant. In hanc vero opinionem invectus est Polycrates Ephesiorum Episcopus, qui ex vetere consuetudine XIV. luna cum

cum Judæis Paſcha celebrabat. Se enim Apoſtoli Joannis, & A veterum auctoritatem ſecutum oſtendit: Nos (inquit) inviolabilem celebramus diem, neque addentes quicquam, nec diminuentes. Hanc verò opinionem ſecutus eſt Philippus Hierapoli mortuus: hanc Joannes, qui ſupra pectus Domini recubuit, & Pontifex ejus fuit, auream laminam in fronte portans: hanc Polycarpus, Thraſeas, Melito, & Narciſſus Hieroſolymitanæ Eccleſiæ Epiſcopus. In Nicæno etiam concilio poſteà conſtitutum eſt, ut Paſcha poſt quartam decimam lunam celebraretur, ne Judæos imitari videretur. *Platina, & Polyd. l.6. c.7. de Invent.*

THEOPHILUS Alexandriæ Epiſcopus cyclum de obſervatione Paſchæ, per centum annos digeſtum, quem Laterculum vocavit, anno à primo conſulatu Theodoſii inchoavit. Anno Domini 382. *Sigebertus in Chronicis.*

CYRILLUS Alexandrinus Epiſcopus anno 437. ab incarnatione Chriſti cyclum de ordinatione Paſchæ, per nonaginta quinque annos ſumma brevitate collegit, infrà quem omnes Paſchalis obſervationis varietates comprehendi notavit. *Sigebertus in Chronicis.*

18. Martii anno 379. fuit Luna 14. & rurſum 10. Aprilis B (16. Aprilis) litera Dominicalis F. Græcis erat hic annus 19. cycli Lunaris, & communis, ideoque illi 20. (21.) Aprilis hi 24. Martii Paſcha celebrari voluerunt. *Paulus Foroſemproniensis l.5. Paſchali, c.1.*

19. Martii, anno 387. fuit Luna 14. & iterùm 18. Aprilis, die Dominico, dominicalis C. annus cycli decem n.8. Lunæ verò 5. ideòque Græci 25. Aprilis, Latini 18. Aprilis Paſcha conſtituerunt. *Idem.*

22. Martii, anno 403. fuit juxta Theophili Alexandri cyclum Luna decimaquarta, & aureus numerus 5. dominicalis littera D. Paſcha ergo ſtatuendum 29. Martii. Verùm Innocentius Epiſc. Rom. eandem Lunam judicabat 26. ideòque Paſcha celebrandum 22. Martii, quæ dies Dominica erat. *Paul. Foroſ. lib. Paſch. 5. cap.2.* Hanc controverſiam utcunque ſolvere, & Theophili Cyclum defendere conatus eſt, *Cyrillus Alexandrinus.*

19. Die Martii, anno 339. fuit Luna decima quarta, aureus numerus Cycli decemnovalis 8. litera dominicalis D. Quia autem hic annus erat embolimicus apud Græcos, & proinde interlunium hoc ultimum præcedentis anni, voluerunt ipſi Paſcha celebrandum eſſe 19. Aprilis, ad primam videlicet ſequentis anni Lunam reſpicientes. Latini verò, quibus cum Hebræis erat annus Cycli Lunaris 5. qui communis erat, ſta- C tuerunt Paſcha 22. Martii proximè æquinoctium, quod 21. Martii ſtabilitum fuit. Hæc prima fuit de Paſchate controverſia inter Latinos, & Græcos. *Foroſempran. de recta Paſchæ celebratione l.4. c.2.*

3. Nonis Martii, anno 341. fuit ſecundùm Græcos, & Alexandrinos numerus aureus Cycli decemnovalis 19. & Luna prima 3. nonas Martii, iterùmque pridie nonas Aprilis, & litera dominicalis D. Voluerunt ergo Græci Paſcha celebrandum eſſe 19. Aprilis, Latini verò 22. Martii. *Ibid.*

19. Martii, anno 349. fuit Luna decimaquarta, & iterùm 18. Aprilis litera dominicalis A. Græci, quibus erat annus Cycli decemnovalis B. & embolimicus, Paſcha in diem 23. Aprilis ſtatuerunt: Latini verò, quibus erat quintus annus Cycli Lunaris, & proinde communis, 26. Martii celebrari illud voluerunt. *Ibidem.*

Anno 360. Luna 14. fuit 18. Martii, die Sabbathi, & iterùm 17. Aprilis, litera dominicali exiſtente A. Græci, & Alexandrini, quibus erat aureus numerus Cycli decemnovalis 19. & annus embolimicus, Paſcha 24. Aprilis, Latini D verò, quibus erat aureus numerus Cycli Lunaris 16. & annus communis. 26. Martii celebrari illud voluerunt. *Foroſ. l. Paſch. 5. cap.1.*

Anno 362. cùm 14. Luna eſſet 9. Calend. Aprilis, Latini celebraverunt Paſcha pridiè Cal. April. Alexandrini quoque, & Ægyptii, cùm incidiſſet 14. Luna 28. die menſis Phamenoth, celebrarunt Paſcha 5. die pharmuti menſis, quæ eſt pridie Calend. Aprilis, & ſic convenere cum Latinis. *Ambroſ. l.10. Epiſt. epiſtola 83.*

8. Calendas Aprilis, ultimo anno Cycli decemnovalis, anno 417. Paſcha celebratum eſt, cùm debuiſſet 10. Cal. Maii, ut *Marianus Scotus, ex Paſchamo Epiſcopo*, annotavit ſub anno Domini 445. *Et idem Beda de Natura rerum cap.42. Paul. Foroſ. l. Paſch. 5. cap.2.* dicit Lunam decimamquartam eo anno fuiſſe in Cyclo Lunari Latinorum 18. Martii, die dominico.

Cum quidam Italiæ Epiſcopi, anno 417. ſolemnem diem Paſchatis integro menſis ſpatio anticipaſſent, divina virtute error eorum eſt patefactus. In una enim Eccleſia, E aqua, quæ quotannis pridie Paſchatis ſolebat divinitus baptiſmi gratia fluere, eos, qui maturius, quàm oportuit, id eſt IX. Kalend. Aprilis, Paſcha egerunt, non emanans eluſit: legitimo autem die, qui erat futurus X. Kalend. Maii, ex more fluens, eo die Paſcha celebrari debere oſtendit. *Sigon. l.11. Imp. occid.*

15. Aprilis, anno 428. fuit Luna decimaquarta 15. Aprilis, die dominico, & Paſcha ſecundùm Alexandrinos 22. Aprilis, quod Latini 15. Aprilis fieri voluerunt. *Paul. Foroſ. l. Paſchali 5. c.1.*

Die 21. Aprilis anno 463. Paſcha ſecundùm Alexandrinam ſupputationem conſtitutum fuit, quod Latini 24. Martii obſervandum dixerunt. *Ibidem.*

27. Martii, die Sabbathi, anno 465. fuit Luna 14. & publicatum Paſcha per Alexandrinum patriarcham 28. Martii, quod Latini in 4. diem Aprilis differendum judicaverunt. *Ibidem.*

Hiſpanis 12. Kal. Aprilis, Francis verò 14. Kal. Maii Paſcha celebrantibus, miraculo comprobatam eſſe Franciæ Eccleſiæ ſententiam. *Sigebertus ſcribit.* Pontes enim, qui in ſabbatho Paſchæ ad baptizandum ſponte divinitus repleri ſolebant, F non Hiſpanis, ſed Francis Paſcha celebrantibus, aqua completi ſunt. Circa annum Juſtini octavum hæc facta eſſe, ex Sigeberti Chronico liquet.

S. Crucis.

Helena Conſtantini mater feſto S. Crucis initium dedit, *Vide infra, Reliquiæ divorum cultus.*

Corporis Chriſti.

☞ *Vide locum de Euchariſtia.*

Virginis Deiparæ.

BERNARDUS Hildesheimenſis Epiſcopus, nativitatem Virginis glorioſæ cœpit cum octava celebrem habere, cum ſit ejus Eccleſiæ patrona. Aderat matutinali officio nocte media; & ecce ſplendor fulſit inſolitus, & omni meridiana luce fulgentior. Stupuere, qui aderant, & penè ex cantu obmutuerunt. Pontifex, quid eſſet, curioſius contemplatus, vidit oculatè (licèt cæcus) ſanctiſſimam virginem ſibi intendentem, Procidens in ora ſupinus: O, inquit, ſacratiſſima regina, quid te ab alto traxit inviſere manſionem humilium tuorum? Tum illa: Placuit altiſſimo unico meo tua devotio, placet cum cœlitibus, & mihi: perſevera in eo, quod cœpiſti, & cum dicto diſparuit. *Cranzius l.6. Metrop. c.41. Chronicon* G *Saxoniæ* Brunorum vocat Epiſcopum.

JUSTINIANUS Imp. primus Conceptionem B. Virginis inſtituit honorare feſto die, toto terrarum orbe. *Niceph.*

Viſitationis Mariæ Virginis feſtum ab Urbano VI. Pontifice inſtitutum anno 1378. *Faſciculus temporum.*

SIXTUS IV. multas feſtivitates veteribus junxit, & Conceptionis, & Præſentationis B. Mariæ, S. Annæ ejus matris, ſanctiſſimi Joſeph. *Platina.* Anno ſui Pontificatus XIII. decretum fecit, quo ſacris interdixit illis tanquam hæreticis, qui virginem Mariam in peccato fuiſſe conceptam originali, quod vocant, & ejus Conceptionis memoriæ confecratum diem ab Eccleſia Romana non eſſe celebrandum docerent. Decretum hoc extat in ea juris Pontificii parte, quam dicunt Extravagantem.

Anno 1495. Nicolaus Sigiſmundi Quinque eccleſienſis Epiſcopi quæſtoris familiaris, Buda ad regem Uladislaum properans, in villa, cui Solita nomen eſt, magna in aere luce, cum ingenti fragore oculis, auribuſque ſuis obiecta, repentè rei novitate exterritus, in terram procubuit, ſuſpicienſque inde H in Cœlum, B. Virginis ſpeciem cum Filio, nimbo fulgentiſſimo circumfuſam, per aera deſcendentem, & Budam verſus curſum intendentem vidit: idque ipſum ſtatim Boemo cuidam, & uxori ejus hoſpiti, & auriga ſuo venerabundus oſtendit. Is dies erat, qui Deiparæ Virginis Conceptioni dicatus eſt: quem poſteà ſemper Ungari religioſius coluerunt. *Bonfinius lib. quinto, Decad.5.*

MAURICIUS Imper. ſacroſanctæ Genitricis Aſſumptionem quam Eccleſia ſumma ſemper in veneratione habuit; XV. Auguſti menſis celebrari præcepit. *Niceph. l.17. c.28.*

LUDOVICUS Pius Imp. Concilio Aquiſgrani habito, eum dic, quo Deipara virgo relictis terris, in Senatum cœlitum allata eſt, feſtis addidit, celebratique præcepit: *Avent. l.4. Annalium Bojorum*, Stephanus Ungarorum rex, ſolemne promulgavit edictum, ut omnes diem B. Virginis, quo inter divos relata fuit, inter celebratiſſimos haberent, Dominæque diem appellarent, ac

ac cætera ejus feſta jejuniis, & ſingulari ſolemnitate tranſige- A rent. *Bonfinius lib. 1. Dec. 2.* Leo IV. octavam Aſſumptionis Mariæ celebrari Romæ primus inſtituit, anno Domini 847. *Sigebertus, & Luitprandus.*

Feſtum Purificationis Mariæ, ſeu Hypapante, inſtitutum eſt hac occaſione. Magna lues ingentem hominum turbam neſcabat: ideò hoc feſtum invenerunt, cujus obſervatione ſe ab ea liberari putabant. Factum id eſt anno Domini DXLII. ut *Sigebertus* ſcribit: *item Paulus Diac. lib.16. rerum Rom.*

☞ *Vide locum particularem in littera M. de S. Maria Chriſti Matre.*

Sanctorum omnium.

BONIFACIUS IV. Papa Pantheon, vetuſtum Marci Agrippæ opus, divæ Mariæ Virgini, atque divis omnibus, Phocæ Imperatoris permiſſu, ad 4. Idus Maii ſacravit, excluſoque malorum dæmonum cultu, locum expiavit. S. Mariam rotundam vocant, anno 613. *Durandus.* Gregorius deinde IV. fertur auctor fuiſſe, ut id ſacrum Calend. Novembris celebraretur.

B GREGORIUS III. monuit Ludovicum Pium, ut feſtum omnium Sanctorum Calendis Novembris obſervari edieceret, *Sigebertus ann.* 835. Sunt, qui ſcribant, eum rogatu Ludovici Pii eam celebritatem Calendis Novembris inſtituiſſe, eamque rem magnopere à Rabano monacho Theologo inſigni, carminibus, & proſa laudatam fuiſſe. *Platina, Aventinus lib.4.* Bonifacius IV. Pontif. cùm animadverteret Novembres Calendas ſacras, celebreſque Rom. populo eſſe, propter inſignem, præclaramque Lucii Cornelii victoriam de ſociis, qua die celebres gladiatorii ludi, multaque alia id genus ſpectacula ederentur ad totius civitatis Romanę manifeſtam veſaniam, cùm Martem, Jovemque, aliaque numina vetera ſubinde invocarent: multis fruſtrà tentatis remediis, ut nec penitus laſciviendi memoria tolleretur, feſtum omnium Martyrum celebrandum inſtituit. Quo die etiam id inſtitutum, retentumque pertinaciſſimè eſt, ut quemadmodum populus Rom. gladiatores ipſos vulnerari, interficique lætabundus inſpiceret, ſic domi ſuæ quiſque anſerem haberet, cujus funere gaudens, exultanſque frueretur, cujus pluma lecti ipſi ad C præcipuum hominis commodum, voluptaremque ſternerentur. *Egnat. lib.2. cap.1.* Obtinuit idem Pantheon à Phoca Imp. & omnibus Martyribus conſecratio, poſt omnibus Sanctis conſecratum. *Sigebertus.*

Sanctorum quorundam.

Ut frequentius plebs Chriſtiana conveniret ad ſacram concionem, & ad cultum divinum concelebrandum, habito Lugduni antiſtitum conventu, omnes illos dies, in quibus Chriſti geſta deſignantur, ſanxerunt eſſe colendos, & alios complures conſtituerunt, qui Chriſtianis perpetuò feſti eſſent, quibus aut ſanctè è vita hac calamitoſa in cœlum migraſſent, aut aliquid in religione ſanctum eſſet geſtum. Atque hi nempe dies his ſunt divis ſacri, Stephano, protomartyri, Innocentibus Sylveſtro, Joanni Baptiſtæ, duodecim Apoſtolis, Paulo Gentium doctori, Deiparæ virgini, Laurentio, Michaeli, Martino, & communiter omnibus ſanctis, quod Bonifacii quarti decretum fuit. *Polyd. libro ſexto, capite octavo de rerum inventoribus.*

Martyrum.

FELIX I. conſulens gloriæ Martyrum, ſtatuit, ut in eorum D memoriam annua ſacra fierent: veluti Gregorius poſteà ſuper eorundem corpora ut itidem ſacrificaretur, voluit. Quod Vigilantius omnino reſpuendum cenſebat. Fertur tamen Anacletus ejus rei prior fuiſſe auctor. Ex quo conſentaneum eſt, ut poſteà Felix & rem divinam ad martyrum memoriam faciendam decreverit. *Polyd. lib.6. de Invent.*

Defunctorum omnium.

Animarum commemoratio inſtituta ad diem ſecundum Novemb. per Bonifacium 4. anno 614. *Antoninus.*

ODILO Abbas Cluniacenſis, ſub Othone III. anno 992. primus invenit feſtum omnium Defunctorum, poſt feſtum omnium Sanctorum. Quod inſtitutum ad omnes Eccleſias, Joannes decimus ſextus Pontifex approbavit, & obſervandum tranſmiſit. *Bergomenſis lib.12. & Volat. lib.21.*

D. Jo. Baptiſtæ.

BELLO III. Liguſtico victis ad Caryſtum Genuenſibus, Veneti ſtatuerunt eum diem inter feſtos, ſolemneſque perpetuò Venetis habendum. Ajunt, eum fuiſſe, quem hodie civitas ob Joannis Baptiſtæ truncationem religioſè obſervat: cùm ante id tempus obſervari non conſueviſſet. Alii Victoris martyris eum fuiſſe tradunt. *Sabell. lib.3. Dec.2.*

D. Petri.

E

Feſtum ad Vincula Petri Romæ inſtitutum, recitat *Nauclerus generatione decimaquarta, volumine ſecundo*, tali occaſione, Eudoxiam Imperatoris Theodoſii poſterioris conjugem Hieroſolymis Romam reverſam, & attuliſſe ſecum catenam illam, qua ſub Herode Petrus in carcere vinctus, ſed tamen ab angelo liberatus fuerat: eamque junctam alteri catenæ, qua idem Apoſtolus ſub Nerone ligatus fuerat, factam unam ad cujus contactum cùm quidam Comes poſteà liberatus cacodæmone fuiſſet, inſtitutam fuiſſe peculiarem celebritatem. Addit tamen, Hieronymus aliter ſcribere *in epiſtola ad Euſtochium.* Alii ſub Sylveſtro, rogatu Conſtantini id factum annotant.

S. Viti.

Poſtquam Teupulana conjuratio Venetiis penitùs ſublata eſt, inſtituit Senatus Venetus, ut ejus diei æternam memoriam ſacramque pio, conſtantique amore retineret. Invifitur igitur ab omnibus ordinibus D. Viti fanum 15. Junii menſis die: invifit Dux, univerſuſque Senatus, & populus, magna cum pompa, & gaudio: perſolutique gratiis rite Deo opt. max. patres ipſos ſecum redeuntes intra Palatinas ſuas ædes Princeps F publicis excipit epulis. *Egnat. lib.5. cap.2.*

D. Marinæ.

Veneti ob receptum Patavium anno 1509. paucis ante diebus à Maximiliano I. Imp. occupatum, die Marinæ ſacro, eum publica lege quotannis velut auſpicatiſſimum, imperiique recuperandi initium, feſtum habent, ſolemnique ritu celebrant, *Guicciardinus lib.8.*

S. Dominici.

Genuenſes Nonas Auguſti, quibus anno 1434. Alfonſum regem Aragonum ad Cajetam navali prælio ceperant, D. Dominico ſacras, ſolemni honore colendas inſtituere. Nec multo poſt VI. Cal. Jan. D. Joanni ſacras, quòd eò die Philippi Mediolanenſium Ducis jugum excuſſiſſent, & libertatem recuperaſſent, anno 1436. *Bracellus lib.4. belli Hiſpanici.*

D. Franciſci.

SIXTUS IV. D. Franciſci Seraphici feſtum celebrari juſſit. *Plat.*

Dedicationis Eccleſiæ.

FELIX I. Pp. auctor fuit, ut cuncti eo die vicatim feriaten- G tur, quo aliquod templum dedicaretur: voluitque, ut ſi de conſecratione ignoratum foret, at pote vetuſtate deletrice monimentorum, denuò conſecraretur. At Felix III. poſt hæc inſtituit, ut à ſolis Epiſcopis dedicarentur templa, eſſetque dies ille feſtus anniverſarius. *Polyd. lib.6. de rerum invent.*

☞ *Vide in loco Feſtorum plerique eorum, quæ hic traduntur: & ſi quæ hic omiſſa, ſuppleantur ex illo: & quæ ibi deſiderantur, ex iſto illuſtrentur.*

LIBRI SACRI,

coluntur, reſpectu

USUS.

DAMASUS Pp. primus Hieronymi ſcriptis auctoritatem dedit, cùm prius LXX. interpretum ſcripta tantummodò in pretio eſſent. Nam & Biblia Hieronymi legi cœpta eſt, & Pſalmi ejuſdem fideliter ex Hebraico traducti, cùm anteà apud Gallos potiſſimùm incompoſitè legerentur. *Platina.*

LINGUÆ.

CYRILLUS cùm Moravos Chriſtiana religione imbuiſſet, H ad Sclavos ſe convertit, ac magnam ibi quoque Chriſto lucratus eſt multitudinem. ☞ *De quo tamen fuſius vide Tomum 1. Bellarm. lib.2. de verbo Dei cap.16. §. ultimo.*

GREGORIUS VII. Pp. Uladislao Boemorum Duci ſcripſit, ac prohibuit, ne Scriptura ſacra verteretur in linguam vulgarem: quod tam arcana majeſtas in ea ſit, ut ſenſus ſecretorum, Dei in ea deprehendi vix queat, ſi è nativa ſua lingua ceu patria in peregrinam tranſferatur. Præterea nimia familiaritate, & facilitate ſua in contemptum abire, quæ alioqui non intellecta in admirationem rapiat vulgus indoctum. *Olaus l.16. c.39*

IMAGINUM, CULTUS.

Huc pertinet.

ACQUISITIO.

Ex Joannis Damaſceni fide Chriſtus ipſe ſuam effigiem, in ſui memoriam Abagaro Edeſſenorum toparchæ (erat ea

gens ultra Euphratrem) dono misit. Abagarus enim, *auctore* A *Eusebio*, cum audisset, Jesum innumerabilia edere miracula, quia morbo tentabatur, scripsit ad eum, suppliciter rogitans, ut se sanatum veniret. Cui servator per Ananiam tabellarium, qui Abagari literas tulerat, respondit, se, postquam assumptus esset, missurum unum ex suis discipulis, qui ejus valetudinem curaret. Fuit ille Tadæus unus ex septuaginta. Interim dum toparcha expectando nuncium salutis, jam more haud saris sapiens, animi penderet, ut Damasceno placet, misit pictorem, qui formam ejus fingeret. Sed pictor cùm ob vultus splendorem id efficere nequivisset, fama est Dominum admovisse ad faciem sudarium, & illi suam effigiem impressisse divinitus, atque mox misisse ad Abagarum, ut sic pium Regem consolaretur. Alterum id genus sudarium, dum, ad mortem subeundam ducebatur, dedisse fertur mulieri, quam à profluvio sanguinis liberaverat: cui, si recentioribus credere volumus, Veronica nomen fuit: quod, undecunque acceptum fuerit, hodie Romæ servatur in æde principis Apostolorum. Item constans opinio est, Lucam Evangelistam pinxisse in tabellis aliquot figuras Deiparæ virginis: quarum una hodie adhuc Patavii servatur. Apostolorum quoque imagines olim formatas B à Christianis, *idem Eusebius eo in loco* attestatur, inquiens: Sed antiquas ipsorum imagines à quibusdam conservatas nos vidimus. *Polydorus lib.6.cap.13.de Rerum invent.*

NICEPHORUS Rhocas Imp. contra Agarenos expeditione suscepta, attulit secum Jesu Christi effigiem, quam ex luto reperit in Hierapoli Syriæ, & unà cæsariem Baptistæ Joannis sanguinolentam. *Cuspinianus.*

CONSTANTINOPOLI Archangelus Michael stricto gladio pro templi custode statuam habet, tenuibus calculis interpunctam. Nicetas sub Imperio Alexii Comneni, Isaacius Angelus Imp. eam ædem reparatus, Archangeli pictas & factas imagines in urbe, vel aliis locis præsidii causa dedicatas, vetustæ, & admirandæ manus opera in idem templum congessit. Adhibuit idem summum studium, ut Monembasia transferret Christum, qui in cruce trahitur, opus admirabili arte, & elegantia. Quam imaginem dolo ablata, sancti Archangeli Michaelis templo donavit. Tanta veneratione B. Mariam coluit, ut ad ejus imaginem animo penè linqueretur: ideò pluri- C mas ejus effigies adorandi causa in diversis templis dedicavit. *Nicetas lib.3.de Gestis ejus.*

DEDICATIO.

STEPHANUS III. Pipino regnante, instituit, ut imagines restituerentur. Quibus peractis, supplicationes egit à Laterano ad Petri basilicam nudis pedibus. *Volat. lib.22. Antbrop.*

GREGORIUS Pontifex anno 733. synodum nongentorum trium Episcoporum Romæ congregavit, & veneranionem imaginum confirmavit, earumque violatores generali sententia damnavit. Anno Domini 731. *Sigebertus.*

ARTABASTUS Imp. Imagines, quas Leo III. & Constantinus Copronymus abstulerant, restituit. *Paulus Diaconus, & Honorarius in Chronico.*

Auctoritate sextæ Synodi, quæ Constantinopoli habita est, imperantibus Constantino, & Justiniano II. ejus filio, ut Decretis Canonicis patet, statutum fuit, ut imagines sacræ in templis haberentur, magnaque veneratione colerentur, ut D pote quæ imperitioribus loco sacrarum literarum forent, ad quas etiam Romanorum ritus, thus, & cerei incendunturr. Fuit is annus Salutis XXC. alter supra DC. vel, ut nonnemo sentit, DCCIII. quo Agatho Romana tenebat sedem. Deinde Constantinus Pontifex habita synodo, id decretum corroboravit, jussitque, ut imagines in porticu divi Petri depingerentur, quod intellexerat à Philippo Imperatore eas à parietibus divæ Sophiæ ignominiæ causa abrasas fuisse, propterea illum hæreticum pronunciavit. Leo deinde III. idem fecit, quem Gregorius II. Pp. per literas admonuit, & reprehendit. Postremo Leone IV. Imp. mortuo, Irene ejus uxor cum Constantino filio VI. imperante, conventu trecentorum quinquaginta Episcoporum Niceæ habito, esentne divorum imagines templis restituendæ, an res in omne tempus repudianda: decretum, ut Romanorum ritu, ubique in templis haberentur: additaque est colendi forma duobus carminibus expressa, ut res ab omni idololatriæ suspicione abesset, quæ ex Græco Latinum ita versa fuerunt:

Nam Deus est, quod imago docet, sed non Deus ipsa:
Hanc videas, sed mente colas, quod cernis in ipsa.
Polydorus libro sexto, capite decimo tertio de rerum Invent.

PAULUS certè patriarcha Constantinopolitanus abdicato Episcopatu, in monasterium secessit: asserens se graviter E peccasse, quòd metuens crudelitatem Imperatoris, adorationem imaginum improbasset: & Tarasius in Episcopum electus, noluit prius assentiri vocationi, quàm esset promissa œcumenica synodus. Ea autem de voluntate Romani pontificis Adriani primùm Constantinopoli coacta est: sed cùm populus, & Scholastici resisterent, posteà Niceæ celebrata, decernitur, imagines adorandas, & colendas esse, & excommunicantur diversum sentientes, & Imperatoris edicto imagines templis restituuntur. Irene omnibus civibus, qui imaginum adoratione improbabant, arma ademit, eosque in exilium misit. *Paulus Diaconus lib. 23.*

Mortuo Imp. Theophilo, Michael Porphyrogenitus filius ejus unà cum Theodora matre excepit imperium. Theodora confirmato imperio nihil prius habuit, quàm de hæresi eorum, qui sacras persequerentur imagines, constituere, quæ ab imperio Leonis Armenii usque ad mortem Theophili, orientale imperium pervasisset. Ad eam verò extirpandam socium se Michaelis pueri tutor Theoctistus pollicebatur, Manuele altero tutore tergiversante, nec satis animi sui consilium explicante. Cùm autem nemo verba de hac re facere, F senatu, & Joanne patriarcha adversante, auderet, divina oblata occasio omnem planè hæsitationem exemit. Manuelem sevo, ac periculoso morbo oppressum, atque à medicis deploratum monachus quidam adiit, atque eum è morbo emersurum & longius etiam vitæ spatium productum, si auctoritati suæ obtemperare vellet, ostendit. Factum se enixè omnia, quæ ille statuisset Michaele dicente: Una salutis tuæ, inquit, est via, si sanctas imagines templis restituendas curaris. Re promissa repentè admirantibus omnibus è morbo recreatus Theodoram convenit, ac sermonem de reponendis imaginibus intulit. Theodora verò aliquid contra senatus & patriarchæ voluntatem immutare de religione verente: Nisi tu mihi assenseris, inquit, scito, te, filiumque tuum brevi imperium, vitamque amissurum. Qua voce perculsa statim se in ejus auctoritate futuram dixit. Cæterum convocato apud Theoctistum concilio, ac causa imaginum ab utraque parte sanctorum patrum testimoniis in medium prolatis in disceptationem adducta, decretum est factum, ut pristinus imaginum ornatus tem- G plis restitueretur, & Joanne patriarcha abdicare coacto, Methodius est subrogatus. *Sigonius lib. 5. regni Ital.*

CONVALLUS Scotorum rex edixit, ut summis arcibus, oppidisque salutiferæ Crucis signum appingeretur: quo admonerentur homines frequentioris Christi culturæ, quocunque proficiscerentur, crucem argenteam cum inscriptione, Christianorum gloria, ante se, veluti verissimum Christiani principis vexillum, deferri jussit; eamque, priusquam equum ascenderet, osculatus, cum comitibus adorare consueverat. Vetuit, ne quispiam crucis figuram in pavimento pingeret, sculperetque. *H. Boetbius lib. 9.*

VENERATIO. ADORATIO.

Edessa Syriæ urbs imaginem habuit Christi, quam nulla hominum manus fecerat, sed ipse Christus filius Dei Abagaro Edessæ principi olim videre se cupienti, facie in linteum impressa, transmisisse credebatur. Ad illam imaginem Edessieni in summo jam rerum discrimine ob Cosroen H Persarum regem civitatem variis machinis opugnantem, versantes confugerunt, & ἀνωμάσαν illius imagini, beneficio sese servari putarunt. *Evagrius lib. 4. cap. 28. ex Procopio*, Romanus Lacapenus Imper. mantile illud divinum, in quo imago Christi non manu facta, quæ hodie Romæ visitur, transportari curavit Constantinopolim, cùm antea esset in Edessa. Quæ cùm à Romanis obsideretur, & jam expugnatæ periculum immineret, ne deprædata exureretur, Agareni, qui eam tenebant, ut se hoc periculo redimerent, Christianis hanc sacram imaginem concesserunt. *Cuspinianus.*

Sigebertus in Chronico, & Paulus Diaconus lib. 18. rerum Romanarum, asserunt, Heraclium contra Persas bella moventem, confisum fuisse imagini, seu tabulæ, in qua Jesus erat pictus, seu Maria (*ut vult Vincentius lib.23.cap.11.* de qua sermo erat, quòd de cœlo cecidisset. *Blondus Decadis prim. lib.9. Ivo in Chronico.*

Genuit Theophilus Imp. ex uxore Theodora quinque filiolas, Theclam, Annam, Anastasiam, Pulcheriam & Mariam: quæ ad aviam Theoctistam cognomine Florinam in monasterium itabant. Solebat illa puellas munusculis illectare, & San-

& Sanctorum imagines puellarum capitibus admovit, easque A venerari docuit, ex arcula eas depromens, semper novis, & pulchris coloribus adornatas, quibus oblectabantur puellulæ. Redeuntes rex pater filiolas interrogare solebat: Ecquid apud aviam fieret? quæ diceret? quæ donaret? Alias silentibus Pulcheria infantula balbutienti ore: Mi pater, inquit, quot habet avia nostra in sua arcula Ninia (sic infans appellabat imagines) hæc capitibus nostris imponit, hæc osculamur, hæc salutamus bonis verbis, ut decet. Imperator mox intellexit, aviam docere puellulas imaginum cultum. Interdixit men ausus contra socrum Theclisten, vel ob reverentiam, vel ob virtutem matronæ, quæ crebrò eum objurgare solita, quòd opprobrisis imagines afficeret, odium subditorum concitatum iri asseverabat constanter. Non minus venerabatur sanctorum simulachra, & imagines Regina ipsa, quæ peculiari quodam larario sacras statuas colebat. Cùm autem Nanus quidam, Deuderus nomine, quem rex in deliciis habebat, stultus balbutiens ad Reginam veniret, invenit eam coram sacra imagine genuflexam clam marito, qui vehe- B menter eas detestabatur. Cùm autem homuncio ille Reginam interrogaret: Ecquid hic esset? respondit Thalami esse Ninia. Homunculus ille Regi prandenti narravit: interrogatus unde veniret: A Mana, inquit (sic enim Reginam appellabat) quæ pulchra, & plura habet Ninia. Rex statim imagines suspicatus, ira concitus, ad Reginam venit, contumeliis eam aggressus, idololatram appellabat, verba stulti repetens, quæ audivit. At hæc cauta virum pulchrè elusit. Deuderus (inquit) non simulacra apud me vidit, sed me coram speculo comantem, reverberatas imagines reddente, quas Ninia ille suspicatus, credidit. Quo commento mariti iram sedavit, & furorem compressit. *Zonaras.*

Fertur, Saracenos hoc modo periisse apud Constantinopolim sub Leone Isauro. In monasterio Sanctæ Dei Genitricis, juxta palatium, prope sanctam Sophiam, erat imago beatæ Mariæ, quæ tenebat infantem in brachio, quam depinxerat in tabella sanctus Lucas, cùm adhuc viveret sancta Maria. Hęc imago vocatur Odigitria, id est, deductrix: quia duobus cæ- C cis apparuit sancta Maria, & deduxit eos ad suam Ecclesiam, eosque illuminavit. Cum ista imagine fecerunt Constantinopolitani processionem omni die Martis, per totam civitatem. Cùm ergo obsessa esset civitas, & cives jejunarent, & orarent, simul & pugnarent: quidam civis jussit afferri illam imaginem, & ab omnibus orationem ad illam fieri hoc modo: Sancta Dei Genitrix, quæ toties nos liberasti, libera nos modò de inimicis Filii tui, & si vis ut imaginem tuam non mergamus in mari, merge illos. Cùm hæc dixissent, ille secretè imaginem tenuit sub undas: & statim procella surrexit, & omnes naves Saracenorum mersit. *Vincentius lib. 23. cap. 147.*

LUDOVICUM Pium Imp. ferunt obequitantem in provincia Saxoniæ, & fortè venerationi [quæ maxima est Gallorum voluptas] intentum, in loco vastæ solitudinis ad arborem, cùm oraret, jussisset deponi sacram divæ Mariæ, quam ubique circumferebat, imaginem, coram qua, oratione finita, cùm rex concitò abiisset: capellanusque sacrorum minister, festinabundus, Imperatorem ut sequere- D tur, minùs meminisset depositæ imaginis: ubi Aulicæ sacra erant peragenda, primùm deprehendit sacram deesse imaginem, sed eam vix tandem repertam nulla vi loco movere potuit: donec votum monasterii ibidem extruendi Imp. fecit. *Crantzius.*

Mediolani, Paschatis die, matres infantes suos, reptantesque puerulos in templum inducunt, mox exorata divi Ambrosii precatiunculis venia, ad Epidaurium Æsculapium convertuntur, tollunturque sublatos ulnis in serpentem filios, suâque in illum aciem dirigere cogunt, incolumitatemque diutinam comprecati, cùm verminosa præsertim ægritudine distortquentur: & quoniam ignara superstitionis infantia delirat, ipsæ matres vota concipiunt, & solvunt. Serpentis rationem hanc reddunt, è crucis siquidem regione collocatum astruunt, ut hinc novi, illinc antiqui Testamenti, exoletaque Mosaicæ legis mysteria præfignarentur. Sed ita res se habet. Anniversarias Calendas Augusti, quibus vitæ solutioris intemperantia, velut indictis Bacchanalibus, relaxatur, quoniam tollere pontifices non potuerunt, speciosissimum Cæsaris Augusti triumphum speciosioribus Petri vinculis implicuerunt. Sic quoniam absolutum, liberumque eo numine fanum exaugurare, superstitiosamque salubrioris medelæ no- E vitatem abolere non potuerunt summi sacerdotes, meliore veteris legis commento suffultum præmunivere. *Arinus Historiæ Mediolanensis sectione prima.*

GERARDUS Magnus, Holsatiæ comes, à Valdemaro rege Daniæ nepote suo è sorore Dux Clesuicensis creatus, victoria contra Danos clarissimus, solebat pugnaturus imaginem D. Virginis collo appensam circumferre in omnia pericula, & ter canere: Nos hac die tibi gratos serva Virgo. In prælio contra Christophorum Daniæ regem alteram manum imagini ferunt abscissam, à nullo denuò potuisse artifice rursus aptari: hodieque monstrant virgunculæ in Itzeho eam Virginis imaginem. *Crantzius lib.9. Saxoniæ cap.10.*

Cùm Magnorum hæresis in Boemia invalescceret, Bretislaus II. Rex suasu Cosmæ Archiepiscopi Pragensis instituit, ut parochi oppidatim, vicatimque domum cujusque oppidani, cum hymnis, ac divorum reliquiis, in pervigilio natalis Domini introirent, notarentque diligenter eos, qui cum veneratione ad ferendum signo Sanctæ Crucis osculum accederent Christianos se esse agnoscentes, aut tanquam inimici Crucis accedere contemnerent, vel se inde furtim subducerent: quos deinde princeps, vel ipse præsul puniebat. *Dubr.* F *lib. nono.*

In singulis habitationibus apud Moscovitas imagines divorum in tabulis pictas loco honorificentiore positas habent, præcipuè autem Divi Nicolai, passionis Christi, Mariæ Virginis, & sancti Petri: hasque maximo honore prosequuntur, & pro penatibus venerantur. Cùm autem unus ad alium accedit, ingressus habitaculum, non statim dominum domus salutat, sed continuò caput aperiens, ubi imago sit, diligenter circumspicit: qua visa, cum magna reverentia, ter se Crucis signo caput inclinando munit, dicens. Jesu Christe fili Dei vivi, miserere nostri; posteà porrectis mutuo manibus alterutrum sese invicem salutantes deosculantur, capitaque more patrio frequentiùs inclinant. Id autem tam viris quàm mulieribus peculiare est, in congressu de omni consanguinitatis familia alterutrum percontari, an rectè pater, mater, uxor, filii, fratres, &c. valent: post unamquamque interrogationem, & responsionem, caput multoties inclinantes, maximèque mutuo se insipicientes observant, uter magis se inclinet, & ita frequentius caput alternatim inclinando de honore certant. G Hospes tandem discessurus, ter se signat cruce, priora verba reverenter proferens, & salute alternis data abit. *Guaguinus in descriptione Moscoviæ cap. 4.*

IMAGINUM NEGLECTUS.

☞ *Require locum de Imaginibus.*

RELIQUIARUM SANCTARUM VENERATIO, CULTUS.

☞ *Pete fusè ex loco de Reliquiis, multa.*

Rerum Sacrarum.

DAROCA civitas Hispaniæ est. Ibi hostia, quam sacerdos inter sacrificandum consecraverat, & supervenientibus hostibus involutam panniculo candido sub lapide repofuerat, inventa est in carnem conversa, & panniculo adhærens, cùm victores è prælio cives revertissent. *Marinæus lib.5. rerum Hisp.*

Cùm Sigismundus Imper. Pragenses tribus locis adortus esset, Misnensis cum Saxonibus collem Zisconis forti impetu adorti sunt, per fossas, & sepes usque ad propugnacula transilientes, ubi duas quoque mulieres pilis armatas obvias H habuerunt, quæ mori, quam loco cedere maluerunt. Ibi Zisco Hussitarum Dux, ingens periculum adiit, penè ab equitibus oppressus, si non rustici ipsius cum flagellis præferratis illos submovissent. Quo discrimine cognito, Sacerdos quidam arripit Corpus Christi, insigne Taboritarum belli, classicum campanula canit, ac mox turbam post se multam trahens ad collem perduxit. Illa visa Germani diutiùs retineri in oppugnando, quanquam Sigismundus subsidia laborantibus semper submitteret, non potuerunt, quin retrocederent cum magno malo suo, alii ex colle metu præcipitati, plures in fuga interfecti, insultantibus Taboritis: ab se continuò ad labores referentibus, ut si prælium redintegraretur, fossas altiores, latioresque, & plures quàm prius munitiones haberent. *Dubravius lib.24.*

RODOLPHUS Hasburgensis Comes obvium habens presbyterum, Eucharistiam deferentem ad ægrum rusticum, ei equum suum dono dedit, ipse pedes comitatus est.

NICOLAUS de Cusa, Cardinalis de latere legatus, veniens in Germaniam, dum Eucharistiam in publicum deferri singulis diebus Jovis per anni circulum, & crebra hac ostenta-

tione vilescere apud plebem videret: constituit, ut non in pu-
A blicum efferretur, nisi infra octavam festivitatis Corporis
Christi institutæ. *Crantzius lib. 11. Metrop. cap. 39.*

Mos erat Alfonso Aragonio, Siculorum regi, quocumque
in loco Eucharistiam ferri perspexisset, relicto equo, quo fe-
rebatur, pedibus eam prosequi in locum, quo perferebatur.
Dum hoc peragit, contigit semel in vetulæ domum ingredi,
sanguinis fluxu laborantis. Cùm autem certior factus esset,
ejusmodi morbum plurimum Jaspidem conferre, misit sta-
tim, qui unum, quem habebat, perferret: ipseque mulieris
manu eum inseruit, brevique à morbo ægra liberata fuit,
Fulgosus lib. 5. cap. 1.

ARMA SACRA COLUNTUR.
Videlicet.

AQUA.

ALEXANDER I. Rom. Pontifex auctor fuit, ut lustralis aqua
consecraretur, & ad dæmones effugandos in templo, domique
servaretur, imitatione Mosis. *Gratianus Polyd. lib. 3. cap. 8. de
rerum Inventor.*

DAVIDIS Scotiæ regis filium aspersum aqua benedicta Ma-
lachias Hyberniæ Archiepiscopus sanavit, adiiciens: Confide,
fili, non morieris hac vice. *Auctor. vitæ.*

B OLEUM. DUM
Consecratur.

ALEXANDER Papa instituit sacrum oleum singulis annis ab
Episcopo benedici, & vetus incendi, *Sigebertus.*

AD USUM ADHIBETUR.

☞ *Vide de confirmatione, Baptismo, Extrema unctione, in littera V.*

CEREI, CANDELÆ. HUC PERTINET RELIGIOSA
ipsorum Donatio, consecratio, &c.

☞ *Vide Cereus.*

LAMPADES.

Usus Lampadum fuit in primitiva Ecclesia, ut quarum me-
minit Lucas *in Actis cap. 20.* dum conventus fiebat ad sacram
Synaxim, idque majoris celebritatis gratia.

SABINIANUS Papa instituit, ut in Ecclesia S. Petri semper
haberentur accensæ lampades. *Platina.*

C Etiam Jerosolymis in sepulchro Dominico ardent aliquot
lampades tam nocte, quàm die.

Et jam passim in omnibus Ecclesiis, in quibus asservatur Sa-
cramentum Eucharistiæ, lampas continuò ardet ob reverên-
tiam Sacramenti, quod ne in Belgio intermitteretur, Episco-
pos monuerunt serenissimi Principes.

SPONGIÆ.

GREGORIUS II. Papa tres spongias benedictas, quæ ad usum
mensæ ejus apponi solebant, misit Eudoni Aquitaniæ duci.
Eas in frusta concisas distribuit exercitui, quem contra Sa-
racenos educebat: ac evenit, ut nullus ex eis, qui participes
facti fuerant, vulneratus, aut interfectus sit. *Eudo in Epistola
ad Gregorium, in libro Pont.*

ORGANA.

VITELLIANUS Papa Constantino III. regnante cantum, &
naula, quæ Organa appellant, in templis adhibere voluit. *Vo-
lat. lib. 22. Anno DCLIV.*

VASA SACRA. SIC
coluntur.

ALTARIA.

D BONIFACIUS III. altaria candidis, ac linteis pannis operiri
voluit. *Polyd. lib. 5. cap. 6. de rerum Invent.*

DONARIA. QUO AD
Αἰῶνα.

LUDOVICUS Bojus circa annum Sal. 1413. è Gallia partim
dono à rege Carolo VI. partim rapina, & astu Elizabetha re-
ginæ sororis suæ, in Bavariam transtulit sacra clenodia innu-
mera, quæ Boii XII. nuncios vocant. *Aventinus lib. 7.*

Φυλακαὶ.

JUSTINIANUS Imp. vasa sacra, & vestes non posse oppigno-
rari, aut alienari, nisi ob captivorum redemptionem, sanxit.
lib. 18. C. de sacrosanctis Ecclesiis. Et lib. 20. C. eodem, præscri-
ptionem centum annorum concessit.

CYRILLUS, Episcopus Hierosolymitanus, per calumniam ab
Acacio (quòd cum eo in Ariana sententia consentire nollet)
apud Constantinum accusatus (quòd in maxima fame Eccle-
siæ ornamenta vendendo, ut pauperibus succurreret, inter cæ-
tera etiam vestem sacerdotalem pretiosam vendidisset: quàm
deinde à mercatore mulier scenica redemisset, eamque inter
saltandum is, qui eam Ecclesiæ contulerat, agnovisset) in exi-
lium pulsus fuit. E

Δίσκω.

Illa crucis pars, quam Helena Constantini Magni mater
Hierosolymis secum in thecis argenteis detulerat, gemmis,
& auro distincta, in Basilica Sessoriana Romæ collocata fuit.
Eodem hæc munera ita: argentea candelabra quatuor, ar-
gentei scyphi quatuor, calices aurei decem, patena argen-
tea auro clausa librarum L. altare argenteum CC. librarum,
agros quoque circà palatium positos, Ecclesiæ dono dedit.
Ex Falisciis autem, & Nepesino agro fundos quosdam donavit.
Platina.

CAROLUS Magnus sacrorum vasorum ex auro, & argento,
vestimentorumque sacerdotalium tantam copiam comparà-
vit, ut in sacrificiis celebrandis ne janitoribus quidem (qui ul-
timi ordinis sunt) privato habitu ministrare liceret. *Sigeber-
tus, & Crantzius lib. 2. Metrop. cap. 18.*

ETHELFOFUS, seu Adulfus, Anglorum Rex, ut alii scribunt,
Romam profectus, tributum beato Petro obtulit coram Leo-
ne quarto, scilicet argenteum nummum de singulis domibus.
Vuilhelmus l. 2. c. 2. de Angli, Ranulph. verò l. 5. c. 30. narrat,
eum, cùm Romam venisset, & suos Anglos publicè pœni-
tentes vidisset ferro vinctos ad templum stare, accessisse Pon-
tificem, ac illam suæ gentis ignominiam redemisse constitu-
tione illa, ut de singulis domibus regni sui annuatim dena-
rium acciperet, ac insuper quotannis trecentas marcas: cen-
tum ad luminaria Petri, & totidem ad Pauli, & centum
Papæ misisse: atque ita impetrasse, ne Angli pœnitentes ex-
tra patriam suam unquam vincula gestarent.

CAROLUS Magnus Compostellæ ædem D. Jacobi multis
dotavit muneribus, & Episcopum, & Canonicos ad regulam
Isidori instituit. *Henricus Exford. cap. 68.*

JUSTINIANUS Magnus Episcopos monuit, ut advigilarent,
ne ea, quæ Ecclesiis relicta erant, in usus extraneos expende-
rentur, sed in tales, in quos eos impendi voluit, qui reliquit,
lib. 43. C. de Episcopis & clericis.

REDDITUS, VECTIGALIA SACRA.

☞ *Videatur locus de Redditibus. Ubi in particulari enume-
rantur proventus, & redditus Sedis Apostolicæ.*

INSTITUTA CONCESSA. DONATA.

Archiepiscopis, aut Metropolitanis, ut vocant, insigne quod-
dam honoris, atque dignitatis confert Pontifex, è lino confec-
tum, atque lana: id vocant pallium: neque licet Archiepisco-
pis inaugurare aliquem Episcopatui, nisi prius accepto pallio,
non traditur autem, nisi fidem, & obedientiam quis promittat
Pontifici Rom. per jusjurandi. ☞ *Vide locum de Episcopis.*

CONTROVERSA.

Injuriosus Episcopus Turonens. XV. à Martino, cùm Clo-
tharius Rex edicto mandasset, ut omnes Ecclesiæ tertiam fruc-
tuum partem fisco penderent, & plerique Episcopi licèt invi-
ti edicto subscripsissent, solus restitit: pœnas etiam gravissimas
minatus, si bona Ecclesiastica attrectare pergeret. Rex terri-
tus hac libertate, edictum antiquavit, & veniam culpæ depre-
catus est. *Greg. Turon. lib. 4. cap. 1.*

Anno 1500. quo tempore Cæsar Maximilianus I. de bello
Turcarum Imperii conventum agebat Augustæ, decretum
fuit, mittendam esse legationem ad Pontificem Alexandrum
VI. ut rempublicam ope, consilioque juvaret, & proventus
Anatarum, hac potissimùm de causa concessos olim, in hunc
usum contribueret. *Sleidanus lib. 4.*

Sundensis urbs in solo Vandalorum insigni circa ann. Sal. H
1407. facinore malè inclaruit. Conrado Bonovu pastori (qui
per omnes Ecclesias in ea urbe unus est) cives non satis ob-
secundabant: oblationes minuebant, numismate minuto
cupreo excogitato, quas ille aliquanto tempore collectas,
in ollam conflavit, documenti causa. Concilium urbis publi-
cum (consulatum vocant) etiam rationem facti prætendere
videbatur, ne communitas sumptuosis funerationibus grava-
retur, cùm alter alterum funeris sumptu exuperare contende-
ret. Pastor, imminutionem sui juris, & Ecclesiasticæ con-
suetudinis non ferens, incendiis, rapinis, & vastationibus om-
nia fœdavit. Bajulos nonnullos urbanos extra urbem operi
suo instantes, truncatis manibus, & pedibus, in cruore palpi-
tantes reliquit. Populo eam ob causam tumultuante, sed an-
te omnes bajuli, clerus omnis unam cogitur in domum veluti
cremandus. Ex omni numero tres, Ecclesiarum trium rectò-
res, excitato medio in foro igni injecti sunt, quòd ardentibus
villis dixissent: Ecce collucent cerei funerales. Zuerinensis
Episcopus urbi sacris interdixit. Diu pertinaciter tulere pœnæ.
Sed cùm supplicem nuncium Romam mitterent veniam po-
stulantes,

stulantes, Papa misit fratres Prædicatores, pœnitentiam pro
A qualitate facta cuique imponendi. Episcopus post eam diem
nunquam in ea urbe divinum peregit officium. Inscripta est
memoria satisfactionis testudini cathedralis Ecclesiæ Zuerin-
ensis, in populi contumeliam. Octennio post Conradus pa-
stor à Denegardo Buggenhago Marescallo in pugna cæsus.
Crantz. lib. 10. Vand. cap. 11. & 17.

Orta de Sacerdotum decimis lite apud Boemos, his con-
querentibus fruges ex agris prius, quàm decumanus decimas
æstimasset ab agricolis exportari. Rusticis verò decumani
ignaviam atque moram accusantibus, qui non nisi pluvia cor-
ruptas, aut à pecoribus arrosas fruges censeret: Udalricus, &
Laromirius fratres principis, litem ita moderati sunt, ut arato-
ribus permitterent manipulos ex agris in aream tempestivè
asportare: sed his duntaxat, qui cum Pontifice justo pretio,
aut certis in singulos actus, & jugera frumenti mensuris deci-
distent. Eadem lege in Moravia in Pontificatu Olomucensi,
quem Helichardus Episcopus unà cum Pragensi procurabat,
decimas exegisse dicuntur. *Dubravius lib. 7.*

BURCARDUS Lunicensis Episcopus, (qui octogenarius ele-
ctus, quadraginta & uno sedit annis) causam Ecclesiæ defen-
B dit adversus fratres mendicantes, sepulturas liberiùs sibi vin-
dicantes. Interdixit Episcopus civitati divinis officiis. Cùm
populus fratribus faveret, clerus urbe pellitur. Fratres inter-
posita appellatione, continuarunt divinum officium. Causa
devolvitur ad Romanam curiam. Interea vigente controver-
sia inter Episcopum & populum, de causa fratrum, & de ma-
lorum proprietate, interdixit iterum Pontifex divinis officiis.
Sed & Archiepiscopus Bremensis Giselbertus excommunica-
vit fratres: interdixit terminorum suorum (ut vocant) quæstus,
per distractus suffraganeorum. Cives absentium canonicorum
curias spoliarunt, & everterunt. Episcopus cum clero anno
tandem 1308. in Romana curia recepit possessionem Ecclesiæ,
& prædiorum: sed ea fuere litis impendia, ut non faciè lucra
damnis compensarentur. Septennio post idem tertiò interdi-
xit Ecclesiæ divinis officiis, quòd fratres minores, de Ecclesia
sancti Jacobi, tumulo jam extructo, & cunctis ad funeralia
præparatis, cadaver rapuissent, impressione facta per cives.
C *Crantzius lib. 7. Vandaliæ cap. 38. 44. 47. & 54.*

CULTUS CHRISTIANUS RESPECTU
INSTRUMENTI CONSIDERATUS,
sive ejus, per quod colitur.

Cùm illud vel

INSTIT. HOMINI, QUO AD
Animum. Huc Religiosa
SUSPIRIA.

☞ *Vide locum proprium.*

LACRYMÆ, FLETUS.

☞ *Hisce rivulis intus latentes Pœnitentiæ fontes declarantur. Proinde ex Pœnitentiæ loco illustretur, & lacrymarum.*

VOTA.

Quibus facta. V. C.

Divis.

Cùm Luitprandus Rex Longobardorum reliquias Augu-
stini ex Sardinia, à Saracenis vastata, Papiam transferret: & in
D itinere ad villam quandam in Terdonensi dicœcesi currus sub-
stitisset, neque ulla vi, aut arte loco moveri posset, Rex votum
vovit: si Augustinus sua ossa Ticinum sineret vehi, se villam
istam Sacerdotibus, & cultoribus ejus donaturum. Itaque sta-
tim currus progredi cœpit. *Vincentius lib. 23. c. 148. Sigebertus*
translationis istius meminit, anno Domini 721.

Scribit Lopezius Gomara Hispanus de Ferdinando Corte-
sio, qui ad Indiæ Occidentalis inventionem multum contul-
lit, quòd cùm is morbo quasi desperato puer laboraret, Pa-
rentes cum voverunt duodecim Apostolis, ductaque sorte
exierit beatus Petrus, cui solemnes quasdam oblationes obtu-
lerunt, aliàque sacrificia: atque ita puer hic servatus est, qui di-
vum hunc coluit, & maximis negotiis inde clarus evasit. *Cardanus de rerum varietate lib. 16. cap. 92.*

Qualia, Quæ, Verbi causa, Vovere

Nudipedalem peregrinationem.

ÆNEAS Sylvius, qui posteà Pius II. Pontifex dictus est, le-
gatus ab Eugenio IV. in Scotiam missus, & gravi jactatus tem-
pestate, ex votis persolvendis, quæ inter fluctuum æstus Vir-
gini matri nuncupaverat, initium ejus morbi contraxit, qui
dolore articulorum permansit ad vitæ exitum, glacie decem E
millibus passuum nudis pedibus ad fanum usque calcata, ut
redire in oppidum non aliter quàm lectica potuerit. *Jo. Anto-
nius Campanus in ejus vita.*

Templum.

NARSES eunuchus contra Totilam regem Gothorum ex
Illyrico movens, cum omnibus copiis Ravennam pervenit, in
transitu verò ad Insulam, quæ erat in æstuario, nomine Rivoal-
tum adiit, atque ibi Deum precatus, duo templa se facturum,
si se hujus victoriæ fecisset compotem, vovit. Et quidem
unum S. Theodoro martyri, alterum S. Geminiano confes-
sori. Mutinensi quondam antistiti, ædificandum jam voti dam-
natus curavit: quorum illud hodie Venetiis in æde S. Marci
includitur, alterum è regione invisitur in foro. *Sigonius lib. 20.
Imp. occid.*

Equum.

CLODOVEUS Francorum Rex, ad Christi fidem conversus,
consentientibus proceribus, bellum Vestgothis intulit, non
solùm quia terras Francorum occupaverant, sed quia Arianæ
perfidiæ assertores erant. Cùm in eo prælio ab hostibus urge-
retur, S. Martino equum, cui insidebat, vovit, si victor evaderet. F
Voti compos, promissum equum pretio centum aureorum
redimere volens, cùm ille loco non moveretur, ducentos im-
pendit, & equus confestim ducentem secutus est. Tum Rex jo-
cosè: Martinus, quantum video, inquit, auxiliator facilis, sed
mercator difficilis est. *Joan. Magnus lib. 16. cap. 2. & Sab. lib. 3.
Eun. 10.*

Quo effectu.

GODEFRIDUS in expugnatione Romæ largo haustu vini se-
brem contraxit: qua non continuè, sed per intervalla labora-
vit, donec audita expeditionis Hierosolymitanæ fama, vovit
se ejus comitem fore, si sanitatem reciperet. Quo voto emisso,
statim vires recuperavit. *Malmesburgensis lib. 4. cap. 17.*

☞ *Consule locum de Votis.*

ORATIONES.

☞ *Advertat Lector, nos hìc, uti aliàs frequenter, inten-* G
*tioni Theodor. Zuingeri satisfacere voluisse, ideòque quæ hìc
de Christiani cultus instrumentis, ut ipse ea vocat, adfe-
runtur, reliquisse, quamvis eadem locis propriis fusius, &
distinctius tractentur.*

Harum Institutio.

Supplicationes, sive Rogationes Latini, Græcam sequuti
vocem, Litanias, & vulgo Processiones vocant, quòd binos
præcedendo bini longo ordine sequantur, à loco ad locum
progrediendo, ac magna voce orando. Quidam tamen malunt
Processiones appellare, quia ea sacrificalis pompa publicè
procedit. Processionum usum jam inde à principio Christia-
nismi fuisse testimonio est Tertullianus libro ad Uxorem alte-
ro, & à Judæis mutuatas fatis constat, qui primi occurrerunt
Christo ex Bethania se Hierosolymam conferenti. Harum
aliæ Majores sunt, aliæ Minores. Mamercus Claudianus Vien-
nensis Episcopus Minores in Gallia Salutis anno 458. instituit,
quæ triduo ante Domini ascensum eduntur: quo tempore rei
atrocitate territus Gallis, in ipso meridie lupi, feræque aliæ ur-
bes ingressæ in homines grassabantur, quotidieque aut tellus
movebatur, aut de cœlo tacta loca, vel ruebant, vel comburе-
bantur. Alcimus Avitus Viennensis Episcopus, peculiari ho-
milia, ternis diebus ante Ascensionem celebratas, & inde in
omnem Galliam derivatas, ait. *Sidonius* eadem planè cum
Avito commemorat *in epistola septimâ. Mamercus item lib. 5.* H
epistola ad Aprum. Eas haud multò post Agapetus Pontifex
dicitur primus constituisse in singulos Dominicos dies, in tem-
plis, vel circa templa habenda. A Leone III. in Aurelianensi
Concilio per universam Ecclesiam hujusmodi supplicationes
stabilitæ fuerunt. *Fulgosus lib. 2. cap. 1. & Egnatius lib. 2.
cap. 1.* At Gregorius Magnus Majores instituit, quas om-
nis ordinis populus septeno ordine incedens alternis caneret.
VI. Kalend. Majas celebrari solitas, cum per id tempus
quodam morbi genere laboraretur, quo inguinibus statim
tumescentibus multi mortales interirent. Cujus pestis *Paulus
Diaconus* causam fuisse prodit, prodigiosum Tiberis incre-
mentum, quod recedentibus inde undis, ingens serpentum
numerus in urbem invaserat, ac usque eo aerem tabefecerat,
ut inguinibus subitò tumefactis, passim homines perirent.
Quod malum Pelagius, in cujus locum Gregorius subrogatus
posteà fuit, precibus avertere conatus, jejunium, ac litanias in-
dixit, sed & ipse inter alios interiit. Gregorius ergo multitu-

dinem